
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07592978 0






Viro celeberrimo

J. D. Meyer,

s. s. t. t.

m. a.



DIATRIBE ACADEMICA

IN

NICOLAI MACHIAVELLI

OPUSCULUM


DEL PRINCIPE

INSCRIPTUM.

AUCTORE

CORNELIO STAR NUMAN.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD JOH. ALTHEER,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
MDCCCXXXIII.



Non è la salute d'una Republica o d'un Regno avere un Principe che prudentemente governi mentre vive, ma uno che l'ordini in modo, che morendo, ancòra la si mantenga.

MACHIAVELLI.

VIRO CLARISSIMO

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,

PRAECEPTORI SUO

S. P. D.

CORNELIUS STAR NUMAN.

Eximiis tuis in me meritis illud, Vir humanissime, addere voluisti, ut, quam, te potissimum suasore, scripseram disputationem, tuo me nomini inscribere sineres. Quae res longe mihi iucundissima fuit: cum propter amoris erga me tui significationem, tum propter facilem atque optatam opportunitatem, ut pietatis explerem officium, quo nihil dulcius sanctiusve hominibus erga homines a Deo immortali impositum esse arbitror. Et vero hâc ipsâ ad te conscribendâ epistolâ recordari iuvat, quemadmodum per tuam maxime institutionem ad legendum tractandumque Machiavellum accesserim. Complures anni sunt, quum una tecum horis vespertinis Platonis Politiam legere incipiebamus.

mus. Ego palmarium hoc philosophi opus iam antea evolveram; quippe ad cuius studium vehementi quodam impetu, qualis esse in adolescentibus solet, ferebar. Hunc autem retuderant mox ac paene oppresserant inanes istae Thrasymachi aliorumque Sophistarum, quae occurrebant, de iustitiâ cavillationes, ut aegre et haud sine taedio, fatebor enim, progrederer. Tecum vero hoc opus Platonis legenti, idem evenit mihi, quod in Homero interpretando acciderat antea, ut auctoris, cui operam darem, nunc demum incredibilem conciperem amorem. Monebas nos, a nullo Platonem argumento aptius dialogi initium petere potuisse, quam ab illorum ratione ac cavillationibus, qui non solum ipsi omnes de vero ac falso, de iustitiâ, deque vitâ beatâ notiones confunderent et obscurarent, sed alios quoque, iuvenes in primis, artis suae et orationis illecebris ad eandem opinandi licentiam perversitatemque ducerent. His scilicet vanis doctrinis Socraticam philosophiam, optimam illam veritatis virtutisque magistram, deinde ab eo oppositam, suâ demum et pulcritudine nobis et vero dignitate atque maiestate, apparere. Tum vero „cavete," aiebas, „ne Sophistas illos omnes, „qui communi hoc nomine dicuntur, spernatis. Nec „Xenophon nec Plato nec ipse adeo Socrates id sibi „committendum censuerunt. Tradiderunt illi pos„teris venustissimas cum Prodici, tum Protagorae „fabulas, e quibus quis ad studium virtutis „proficere multum possit." Quibus dictis cum narra-

rabas nobis atque interpretabaris fabulas illas, philosophiae plenas: tum hoc praecipiebas, reiicienda nobis placita esse, quae iustitiae virtutisque nomen relinquerent, vim vero et dignitatem tollerent: sed parcendum eorum auctoribus esse, quippe qui inviti peccassent subinde: Sophistas enim tentasse idem, quod perfecerunt deinceps Socrates et Socratici: inchoasse eos apud Graecos, ut apud Italos recentiore aetate Machiavellum, politicam doctrinam; sed, ut hunc, ita illos, complecti eam mente totam nondum potuisse.

Quod fere tibi docenti contingere solet, vir dilectissime, ut in eorum mentibus, qui audiunt, cum delectatione quasi aculeos quosdam relinquas, id ego in primis vesperâ illâ, auditâ eâ sententiâ, expertus sum. Nam eâ ratione neminem adhuc de Machiavello audiveram pronuntiantem. Haud quidem scripta eius legeram: sed nomen viri me quotidie in ICtorum libris, in hominum circulis, in diariis adverterat: cunctos autem, utut de reliquis rebus dissentientes, in eo veluti conspirare videram, ut unâ voce doctrinam eius summâ indignatione reiicientes, ipsum pariter et reiicerent, et tantum non detestarentur: vel, si lenioris essent ingenii homines, satiram eum in tempora sua scripsisse, autumarent. Quo magis mirabar, te, quem esse in primis ἐν τοῖς καλοκἀγάθοις cognoveram, horum optimorum hominum opinionem adeo non probare, ut et serio Machiavellum disputavisse affirmares, et vero adderes etiam, tibi

eum

cum, maiore honorum existimatione dignum videri, quam quae adhuc ei obtigisset. Haec autem satis apud me valebant, ut et caetera viri scripta legere et maxime eius libellum *del Principe* inscriptum gestirem. Legi: et hoc quidem continuo animadvertere mihi visus sum, omnia in hoc opere tantum a nostri aevi atque antiquitatis studiis abhorrere, cunctaque eum in modum Italorum res et mores referre, ut sine accuratissimâ illorum temporum, quibus conditum esset, cognitione, intelligi non posset. Itaque Italicarum gentium historiae, quam neglexeram adhuc, sedulo operam navare decrevi. Nam, quamvis iteratâ lectione multa adhuc obscura plane remanerent, animum tamen meum inde ab initio ceperat libellus. Thrasymachum aliquem recentioris aevi aut Calliclem auditorum me putaveram, qui iustitiae virtutisque fundamenta temere everteret, moralem doctrinam nullam esse contenderet, principes ad libidines suas explendas excitaret: cognoscebam vero in eo virum, qui placide ac simpliciter de principatibus et principibus dissereret: modo candide profiteretur, sibi fieri non posse videri, ut sine iniustitiâ regna cum conderentur a principibus, tum conservarentur: modo contra mirâ eloquentiâ, quae ex pectore proflueret, principes ad optima quaeque consilia et facinora impelleret, imo vero tantâ et animi indignatione et gravitate aequalibus suis vitia corruptosque mores exprobraret, ut Platonicam plane vim sublimitatem-

temque spiitse videtur. Nam apud Platonem me locus ille et ceperat et tenebat, quo de pessima civitatum suo aevo conditione agit. Similia omnia in Machiavelli cum ceteris scriptis, tum in ipso *del Principe* libro inveniebam. Pariter hunc misetam videbam sui aevi conditionem deplorasse: pariter moribus institutisque emendandis maiorum remedium quaesivisse. Quo longius autem procedebam, eo magis etiam suspicari coepi, Machiavellum eandem quidem, ac Platonem, viam inivisse; sed in Sophistarum *sententia* „sine iniusti„tia regna condi conservarique non posse" substitisse: atque intimam honestatis utilitatisque in arte civili coniunctionem Hugoni Grotio demum exponendam reliquisse. Itaque, quo modo tandem, in tanta eruditorum dissensione, de Machiavelli opusculo et consilio *vere* iudicandum esset, in dies ardentius et ipse explorare et aliis declarare cupiebam.

Haec autem meditanti ac suscipienti gratum mihi accidit, quum viderem, exstitisse his temporibus nostris, qui pariter Machiavellum, non, prouti fere visus est, sed qualis reapse fuit, proponere nobis studerent. Quamquam verebar subinde, ne effecissent illi, ut equidem rem actam agere viderer. Tu vero, quod semel susceperam opus, ne relinquerem, monebas: id enim literarum amore, quo flagrarem, indignum esse: contra illorum studia me excitare debere, ut alacrius, etiam, quod inchoaram, perficerem, atque in veritatis luce,

ce, quoad eius fieri posset, Machiavellum collocarem: ceteros illos vel alia spectasse, vel, si eadem spectassent, alia inde effecisse. Quibus ego monitis confirmatus, rem naviter deinceps persecutus sum, nec absterreri me sivi vel *Gervini* vel *Artaudii* operibus, quae, his ipsis diebus, ad me pervenerant. Quorum ille Germanicâ eruditione copiosaque oratione ita cum universe de Machiavelli indole et scriptis, tum maxime de historicis eius laudibus disputavit, ut reliquos omnes, qui ante eum scripserunt, longo post se intervallo reliquisse dicendus sit: hic laudabili industriâ multa collegit, quae ad Machiavelli vitam operumque fata, et posteritatis de iis iudicia cognoscenda in primis facere viderentur. Sed, ut alia illi occupaverunt, quibus inventis mihi ipse mirifice placueram, alia protulerunt, quae aut ornare aut emendare potuissent libellum meum, ita haud pauca adhuc aliorum diligentiae reliquerunt: opusculique *del Principe* interpretationem, cuius causâ opus aggressus sum, universe tantum attigerunt, in eaque re longe diversâ ratione versati sunt.

Haec habui, vir humanissime, quae ad te de ratione, quam in hac disputatione conscribendâ secutus sum, perscriberem. Alia ad consilium meum magis etiam declarandum in libri prooemio fusius exposui. Quae hic significavi sufficient, ni fallor, ut omnes intelligant, me nunquam, gloriolae aucupandae causâ, opus suscepisse, sed simpliciter, te duce, ipso studiorum

cur-

cursu ita ferente, et veri potissimum exquirendi causâ ad Machiavelli studium et huius diatribae editionem delatum esse. Et vero monumentum exstare volui, quo palam fieret, me non frustra tuis *de historiâ literariâ gentium recentiorum*, nec vero Ackersdykii Vir. Clar. *de historiâ politicâ* lectionibus interfuisse. Cuius viri praecepta ad gentium Europaearum in rebus politicis progressionem rite percipiendam multum me sane in hoc opusculo condendo adiuverunt.

Et grato ita animo revolvo, quae a viris eximiis, per omne hoc tempus meum Traiectinum, in me collata sunt beneficia. In his vir ille, quem patrem mihi contigisse carissimum, studiorum moderatorem prudentissimum, adiutorem liberalissimum, amicum sapientissimum, quotidie, pio in Deum O. M. sensu, reputo, principem locum occupat. Verum huius in me viri merita, ut Academicae vitae meae limitibus, quamvis latis, non continentur, quippe quae et inde ab ineunte aetate maxima fuerunt, nec cum ipsâ adeo morte interibunt, ita illorum significatio a grato filio neutiquam angusto Academicae scriptionis loco concludenda, sed per omnem vitam rebus et factis et precibus extendenda et declaranda videtur. Ceterorum autem praeceptorum in me studia minime obscura fuerunt, aut eiusmodi, quorum unquam memoria e mente meâ deleatur. Alii enim literarum me elegantiâ imbuere, alii in philosophiae severitate exercere, alii iuris prudentiâ, subtilitate

et

et copiâ augere studuerunt: alii denique me ad domesticas suas scholas aut privatam familiaritatem admiserunt: cuncti omnino humanitate me suâ atque indulgentiâ sibi devinxerunt. Quorum igitur praeclarissimorum virorum me semper observantissimum studiosissimumque praebebo. Sed ut multis me multum debere, lubens profiteor, ita tibi hoc maxime acceptum refero, institutionem tuam mihi cum ad alias doctrinas percipiendas fructuosissimam fuisse, tum ad humanitatis sensum excolendum, qui finis esse academicae disciplinae praecipuus videtur, insignem plane. Quae omnia simulac sentire coepi, atque a vagâ institutionis tuae admiratione ad certam aliquam eius perspicientiam perveni, dictu difficile est, quanto incenderer et bonarum literarum et tui amóre. Nam cum alia me ad scholas tuas rapuerunt, tum illud in primis, quod tu, qui in antiquitatis scientiam te totum penitusque insinuasti, idem tamen intimam illam antiquitatis cognitionem ad aetatis nostrae fructum et praesentem disciplinarum conditionem emendandam i. e. ad id, cuius maxime causâ antiquitas colenda et exploranda est, unice adhibere soles. Sed et aliud tibi proprium est, longeque majus, quod plane est Socraticum et Platonicum: unde in primis me percepisse humanitatis sensum studiumque memini. Sermones significo, quos cum discipulis tuis habere soles, germanos illos, quorum scripti non nisi umbram referunt, qui non atramento chartae traduntur, sed persuasione in animis discentium seruntur,

il-

illic germinant ac fructus proferunt ad usum salutemque civitatis uberrimos, quo negas tibi quidquam accidere tum gratius suaviusque tum honorificentius posse. His igitur sermonibus, quibus per multos annos mihi et privatim frui, et cum dulcissimis iuvenibus interesse licuit, in me quoque eum pulcri verique amorem aluisti et confirmasti, certe alere et confirmare studuisti, qui unice et dignitatem doctrinae et virtuti amabilitatem conciliare potest. Quin, si libellus meus habeat, quod laudandum videatur, est hoc illud ipsum veri studium, quo unice duci me passus sum. Itaque reddo tibi, quod tuum est; non vero tale, quale a germano demum discipulo tuo possit exspectari. Ego autem, quod viribus meis maius est, aliis lubenter relinquo: illud vero, per reliquam vitam, optime Heusdi! contendam, ut tui amore et observantia me cunctos superare velle a te et tuis iudicer. Dabam Traiecti ad Rhenum mens. Nov. 1833.

DIS-

DISQUISITIONUM SUCCESSIO ET ARGUMENTA.

Nullus facile in universâ literarum historiâ liber occurrit, cujus argumentum, in summâ disserendi gravitate et orationis elegantiâ, majorem omni aevo auctori suo invidiam conciliavit, quam celebratissimum Nicolai Machiavelli *del Principe* opusculum. Namque illustrissimi viri exspectatio, ut hocce sagacitatis suae et prudentiae politicae documento sese in Mediceorum gratiam insinuaret, adeo non expleta fuit, ut perparvum ingenii et industriae praemium retulerit; tamque gravi cum offensione multorum civium suorum suam de novo regno lucubrationem edidisse videtur, ut, paene jam confectâ aetate, modo aliqua aequalium rumoribus fides habenda sit, eorum odia adhuc subierit. Et, cum, operibus tantum non omnibus post mortem vulgatis, brevi auctoritas ejus et fama valde crescerent, mox una cum patronis ejus plurimi exstiterunt, qui eum minus ratione oppugnarent, quam maledictis et contumeliis proscinderent. Quorum in diversissimo consilio

communis opera effecit, ut, quae, probante Pont. Max. Clemente VII, prelo subjecta fuerant scripta, Pauli IV et Concilii Tridentini auctoritate impietatis nomine damnata et prohibita sint; et vero, ut ad nostram memoriam Nicolaus Machiavellus sceleratus et detestabilis nefariorum consiliorum auctor et suasor ab omnibus fere omnis generis hominibus habitus sit. Nam hoc ipsi rarâ quâdam sortis iniquitate evenit, ut in pietatis significatione religionis ministros, in ingenii excellentiâ philosophos, in libertatis amore civilis libertatis amantissimos, in vera principum commoda adjuvandi studio ipsos principes, in nominis denique amplitudine rerum ab ipso gestarum ignaros nactus sit adversarios.

Universi hujus et continui odii causas quaerentibus, variae sese nobis offerunt, quarum singulae dignae sunt, quae attendantur. Quamquam enim quis putet, doctrinam, quae in libro *del Principe* occurrit, per se ipsam consideratam, omni boni, justi, humanitatis adeo sensui repugnare, ut uniuscujusque legentis indignationem sponte sua et omni tempore movere debuerit, non est tamen, si eorum, qui Machiavello adversati sunt, scripta inspiciamus, cur huic causae praecipuam in dijudicandis politicis ejus principiis vim tribuamus. Exstiterunt enim aliae, quae vel optimis moralibus praeceptis commendatissimi libri, nedum hujus, famae offecissent. Libere Machiavellus reli-

gio-

gionis interpretum sui temporis vitia perstrinxit, nativamque Christianae religionis simplicitatem sublimitatemque adversus Romanorum Pontificum insolentiam morumque licentiam vindicavit, quibus factum esse contendit, ut omnis erga Deum pietas in Italiae gentibus penitus esset sublata. Hanc autem libertatem usurpando effecit, ut, Ecclesiâ mox gravissimâ animorum dissensione et discidio distractâ, hujus auctoritatem propugnantibus simul et ipse et scripta ejus invisa essent. Quod Pauli Jovii (1), *Osorii* (2), *Possevinii* (3), Ribadeneirae (4) opera, ut alios taceam, satis declarant, qui verum verborum sensum calumniâ torquendo, ingenii, quae reliquit, monumenta hominum contemtui tradere, et probris omnibus memoriam ejus lacessendo vitae splendorem maculare studuerunt. Inusta ita ei est impietatis nota, quae firmiter ipsi adhaesit.

De iis omnibus animadvertendum est, Jesuitas, uti in vindicanda Ecclesia Romana, ita quoque in

(1) Cff. *Vitae virorum literis illustrium*, Opp. Edit. Basil. T. II. p. 104, 106.

(2) *De nobilitate Christiana*, Libro III°. Cff. Conringii Opera, T. II. p. 986 sq. et variae operis *del Principe* interpp.

(3) *Cautio de iis, quae scripsit tum Machiavellus, tum is, qui adversus eum scripsit Antimachiavellum, cui nomen haud adscripsit.* Cff. qui in super. nota citantur.

(4) *Princeps Christianus adversus Nicol. Machiavellum caeterosque hujus temporis politicos.* Liber Hispanice scriptus, sed in Latinum sermonem versus est a Joanne Orano. Colon. Agripp. 1604.

in detrectandis Machiavelli dotibus caeteros omnes antecelluisse, eosque perversam ejus moralem et politicam doctrinam tam parum respexisse, ut invidia, quâ illum onerarunt, animadversionibus ipsius de corrupto Dei cultu, deque pessima vi, quam Pontificum auctoritas in totius Italiae conditionem haberet, tribuenda sit tota. Cujus rei inter alia multa illud documento esse potest, quod eodem, quo Phil. Nuam, Joh. Bodinum, Phil. Mornaeum prosecuti sunt, odio auctorem opusculi *del Principe* implicaverunt (1).

Quod autem miretur quispiam, et tamen est verum, multi eorum, qui emendata sacra coluerunt, non minori cum studio Machiavelli placita impugnaverunt, quam acerrimi eorum adversarii. Explicandum hoc et ex cursu videtur, quem Galliae principes in gubernandâ civitate tenuerunt, qui semper fuerat cujusque in Italiâ tyranni, et ex ingenti ardore, quo civilem libertatem amplexi sunt, quotquot religiosam adepti jam essent. Scilicet ex gravissimis illis, quibus sacrorum commutatio ansam praebuit, commotionibus, duo effloruisse videntur sectae, quarum altera absolutam regii imperii formam, altera aut temperatam unius potestatem aut popularem civitatem uni-

(1) Fecit hoc Possevinus, in *Judicio de Nuae, militis Galli, Joh. Bodini, Phil. Mornaei, et Nic. Machiavelli quibusdam scriptis*, Romae ex typographia Vaticana 1592; jussu et auctoritate, ut videtur, summi Pontificis Innocentii IX[1].

unice probaret. Illius auctor et magister Machiavellus putabatur, a quo, qui illam profiterentur, *Machiavelliani* dicti sunt (1). Itaque in *Libris* III *de regno adversus Machiavellum* (2) Innocentius Gentilletus ICtus, qui turbis istis, quibus jactata est Gallia, diu interfuit, sic disputat, ut hujus unius funestissimis consiliis omnia mala, quibus patriam oppressam vidit, tribuat: et, qui sub Stephani Junii Bruti nomine diu latuisse videtur, Henricus Languetus, ut Mornaei et Sidnei amicus, ita strenuus popularis majestatis vindex, in egregii libri praefatione Machiavelli opera notavit tanquam exemplaria, quibus omnes tyranni ad opprimendos subditos et suam firmandam dominationem ducerentur (3).

In-

(1) Ad nostram memoriam in juris publici scholis Machiavellus tanquam familiam ducens eorum, qui absolutum imperium propugnarent, habitus est, ejusque adversarii Monarchomachi appellati sunt. Cf. Kluit., Vir egregius, in Orat., *over het misbruik van 't algemeen Staatsregt*, Lugd. Bat. 1787. pag. 19 sqq.

(2) Liber prodiit, A°. 1579.

(3) Cf. Baylii Lex. in voce, sed inprimis *Dissertation sur le livre d'Etienne Junius Brutus*, *imprimé en* 1579. *Oeuvres*, T. IV. p. 569-577. Edit. Basil 1741. Libri autem titulus est: *Vindiciae contra tyrannos: s. de principis in populum, populique in principem legitima potestate, Stephano Junio Bruto Celta auctore.* Fere Languetus censetur ad praecipuos Machiavelli adversarios pertinere. Cf. Christius *de Nicolao Machiavello*, Libri III. Lips. et Halae Magdeb. 1731. p. 36. in nota; Baldellius, *Elogio di Niccolò Machiavelli*, quod exstat in T. I. *delle Opere di Ma-*

Incredibile autem dictu est, quantam ignorantiam omnium eorum, quae ad Machiavelli scripta aut vitam pertineant, cuncti fere illi, de quibus adhuc diximus, prodiderint. Quae profecto tanta fuit, ut inter causas, cur memoriae ejus maxima labes sit adspersa, potissimum recensenda videatur. Non solum enim, Paulo Jovio auctore, absurdissimas quasque de ejus vitâ et morte fabulas commenti sunt, et ex illustrissimo cive Florentino, qui in totius Italiae luce optimam vitae partem transegit, nescio quem ignobilem et obscurum scribam finxerunt, sed eo usque processerunt, ut ne lectum quidem librum dátâ operâ refutare aggressi sint (1). Horum igitur errores per omnium fere, qui de Machiavello egerunt, opera late serpserunt, et, quamvis jamdiu inprimis Amelotus Houssaius

Machiavelli, Mediolan. 1804. p. 61. in nota, et novissimus Machiavelli Interpres Gallicus in praefatione p. XII. Quod tamen, cum non nisi in praefatione Machiavellum nominet, alia fere argumenta tractet, quam quae hic attingit, in nonnullis v. c. in iis, quae de tyranno disputat p. 329-336, ab eo non dissentiat, ita intelligendum est, ut eum tantum citavisse Languetus dicendus sit, quoniam caput esse putabatur eorum, qui illo tempore nimiam unius potentiam maxime probarent. Cf. *Conring.* l. l. p. 991.

(1) Nolo hic repetere, quae ubivis occurrunt. Cff. Conringii *Epistola ad Gebhard. ab Alvensleven*, pag. 973 sq. Oper. T. II; Christius, l. l. passim; Baldellius, l. l. p. 57. in nota; Interpres Gallicus, qui pleraque, ut ipse fatetur, in praefatione illa et varia in historia Machiavelli a Baldellio mutuatus est p. 8-18.

ius (1), Hermannus Conringius (2), Petrus Baylius (3) et Joh. Fred. Christius (4) plurimas aequalium et posterorum de eo narrationes ad rationis normam exegerint, multaque res ejus gestas et scripta spectantia egregie illustraverint, in nostram aetatem propagati sunt.

Nemo autem omnium, quicunque de industria Machiavelli librum refellere studuerunt, et auctoritate et dignitate illustrissimum *Probationis libri del Principe* (*Examen du Prince de Machiavel*) auctorem aequavit: quod opus tanto totius Europae plausu exceptum fuit, quantus iis unice libris contingit, qui cum aetatis, qua prodeunt, ratione et studiis arctissime cohaerent. Jam vero quam vim philosophiae studium, quod superiori saeculo in Galliâ vigere coepit, in illud habuerit, ex editis Frederici II et Voltairii epistolis, ex eo, quod philosophus hicce laboris, nisi praecipua pars, certe socius fuit, ex ipso denique operis argumento, facile est ad intelligendum (5). Itaque ut antea religionis et civilis libertatis, ita saeculo XVIII philosophiae et humanitatis studium non tantum Machiavello illos, de quibus egimus, adversarios suscitasse, sed istud inprimis effecisse videtur, ut magnam identidem vim eorum scripta in hominum animos habuerint.

Quam-

(1) In *Préface du Prince de Machiavel.* (2) l. l.
(3) Cf. Lex. in voce *Machiavel.* (4) l. l.
(5) Cf. *Correspondance avec le Roi de Prusse* in Voltairii operibus, T. L, LI, LII. Paris. apud Dupont. 1824.

Quamquam in considerando Frederici II opusculo peculiaris auctoris conditio negligenda non est. Etenim regium juvenem videre, nuperrime regno suscepto, publice a se tyrannicarum artium suspicionem et invidiam avertentem, et coram toto orbe ea suscipientem, quae si perfecisset, Platonis illud, *imperantes esse philosophos oportere*, exemplo ipse suo comprobaturus fuisset: hoc igitur videre, nonne singulare plane et magnificum spectaculum fuit?

Veruntamen, ut magnos habuit Machiavellus omni aevo adversarios (1), ita non defuerunt viro, qui ipsius causam susciperent. Nec sane minus diversâ hi ratione eum propugnarunt, quam illi impugnarunt. Nam qui, animo a nullo partium studio occupato, Machiavelli opera legebant, advertere solebant insigne discrimen, quod inter caetera ejus opera, inprimis disputationes de T. Livio, et librum *del Principe* invenire sibi videbantur: cum in illis civilis libertatis amantissimus vir, in hoc foedus tyrannidis praeco ipsis appareret. Reputabant secum, quam libere et graviter semper de

(1) Plerique, qui libri *del Principe* censuram egerunt, citantur in Praefat. ad Oper. Conringii, T. II. in fine. Addatur iis Casp. Barlaei *Dissertatio de bono principe, adversus N. Machiavelli Florentini Scriptoris suasorias, quas libris suis de Principe, Rep. aliisque insparsit*, quae invenitur in Orat. libro, edit. Amstel. 1632; in primis autem cff. Cartesii Epistolae in Gallicâ edit. cui tit. *Oeuvres de Descartes, publiées par Victor Cousin*, Paris, 1825. T. IX°. p. 387 sqq. et 400.

de corruptis aequalium moribus, de Pontificum vi in Italiae res, de Mediceorum dominatione, de Italicarum gentium ignaviâ, de militari disciplinâ prorsus redintegrandâ, de malâ Florentinae reipublicae ordinatione, et pellendâ barbarorum eluvie, quae pulcherrimam et cultissimam regionem obruebat, disseruisset: quam denique insignem patriae et libertatis amorem, qui ubivis in scriptis ejus elucet, per totam vitam consiliis et periculis suis egregie declaravisset. Itaque concilianda esse putabant, quae sibi repugnare videbantur. Fuerunt ita, qui omne infamiae crimen ab auctore libri ad Italiae principes, qui eo tempore exstiterunt, rejicerent: eum non boni principis imaginem exprimere, sed tyrannorum umbram describere voluisse affirmantes (1). Alii hoc eum opere non tyrannos pravis consiliis instruere, sed populos a malis eorum artibus vindicare in animo habuisse (2), alii eum satiram scripsisse statuerunt (3): alii denique laborem

(1) Cff. Wicquefort, *de l'Ambassadeur et de ses fonctions*, L. 1. Sect. 7. Amelotus Houssaius, *préface du Prince de Machiavel*, p. 21. Traianus Boccalinius, *Ragguagli di parnasso*, Cent. I. Ragguagl. LXXXIX. cit. apud Christ. l. l. p. 124. Joh. Balt. Schuppius, in Diss. *de Opinione* apud Christ. p. 128 sq. alii.

(2) Cff. Albericus Gentilis, *de legationibus*, L. 3. c. 9. *Verdediging van Machiavel*, quae doctissime scripta disputatio invenitur in opere: *Nieuw algemeen Magazijn van Wetenschap, Kunst en Smaak*, IIe Deel IIe Stuk, Amst. 1794. p. 755-784.

(3) Cf. v. c. Robinet, in Praef. *du Dictionnaire universel des sciences morales, économiques, politiques et diploma-*

rem ejus reipublicae magis civibus quam principibus commendandum esse pronuntiarunt (1). Nonnulli eo consilio confectum esse opusculum contenderunt, ut Caesarem Borgiam depingeret, omnibusque ob oculos poneret (2): aut ut Mediceorum domum consiliorum illecebris captaret, et bonorum omnium odio irretiret (3). In diversissimâ autem singulorum ratione hoc omnibus proprium fuit, ut *non serio aut etiam callido consilio motum* librum *del Principe* condidisse Machiavellum autumarent. (4).

Ac mihi quidem, saepenumero in eorum scripta, qui prudentissimum virum aut oppugnaverunt, aut defenderunt, intuenti, quaerendum esse visum est, quid sit tandem, cur neutrorum ratio universa hodie probari posse videatur. Repetenda, ni fallor, causa hujus rei inde erit, quod, omissa diligenti cunctorum Machiavelli scriptorum investigatione

matiques ou Bibliothèque de l'homme d'état et du citoyen, cit. in Diss., *Verdediging van Machiavel*, p. 773.

(1) Roussavius, *Contrat Social*, L. 3. Ch. 6.

(2) Morhof., *Polyhistor. Litt.* etc. L. I. T. I. C. XIX. §. 28. Borgiam laudandi causa Machiavellum scripsisse putat Cartesius, l. l. p. 400.

(3) Christ. l. l. pag. 14 et 20. Allegrini, *Elogi degli più illustri nomini di Toscana*, Art. *Machiavelli*, cit. in: *Verdediging van Machiavel*, pag. 770.

(4) Superiorum opiniones sententia sua de libri indole conjunxit fere nuperrime Weitzel., in opere, cui titulus: *Geschichte der Staatswissenschaft*, Stuttg. et Tubing. 1832. Vol. 1, pag. 153 seqq.

vestigatione, accurataque eorum inter se comparatione, utrique Italicarum civitatium eo tempore conditionem tam civilem quam moralem, reipublicae regundae artem parum adhuc excultam, quam primus apud recentiores restituit Machiavellus, res denique ab ipso gestas, aut omnino neglexerunt aut non satis respexerunt. Suae singuli aetatis, non ejus, quâ vixit Machiavellus, rationem habuerunt. Qui saeculo XVI in eum invecti sunt, in eoque non nisi pontificiae auctoritatis adversarium aut absoluti propugnatorem imperii viderunt, cui mala, quae ecclesiam aut civitates opprimerent, magnam partem tribuenda essent, ejus placita non ex ipsius scriptis, mente, aetate, sed ex posteriorum temporum studiis, quae, mortuo demum ipso, in aliâ Europae parte vigere coeperunt, explicaverunt et judicarunt. Fridericus II, Gallorum philosophiam, quae profecto historiae non favit rite excolendae, professus, universam auctoris nostri doctrinae indolem sic cepit, ac si opusculum *del Principe* eodem anno, quo ipse illud refutare conatus est, prodiisset. Denique, qui ita Machiavelli famae consulere studuerunt, ut eum proprio ac secreto consilio motum fuisse aut satiram scripsisse contenderent, ad hoc remedium confugerunt, ut sese ex variis difficultatibus, quae caeteroquin ubique oborirentur, expedirent. Haec vero nolo quis ita interpretetur, ac si doctorum omnium labores, qui, superioribus temporibus, pro Machiavello scripserunt, contemnendos vel cer-

certe parvi faciendos esse temere existimem. Nihil cogitari potest a mente meâ magis alienum. Etenim hi cum alia multa, quae ad bene intelligenda ejus scripta faciunt, praestiterunt, tum vero hocce, quod ex antiquis eum scriptoribus plurima, quae nobis in illo intolerabilia videntur, in his non videntur, placita mutuatum esse probaverunt. Qua in re nonnulli profecto longius, quam par erat, processerunt, eum manifesti plagii accusantes (1), sed magnam tamen lectoribus lucem attulit v. c. Amelotus Houssaius, qui ad Gallicam suam libri *del Principe* interpretationem varia veterum, maxime Taciti, loca apposuit. Hermannus item Conringius, quanquam nec veram libri indolem cepit, quem politicis suis animadversionibus tanquam subjectam materiam habuit, et injustissimâ saepe ratione perstrinxit, atque de ipsius auctoris tum scribendi facultate tum judicandi solertiâ inepte disseruit (2), multarum tamen opinionum levitatem ita arguit, aliosque exemplo et auctoritate suâ ad diligens ipsius Machiavelli studium excitavit, ut operae pretium fecisse existimari debeat. De Johanne Fred. Christio denique, qui tribus, quos de Machiavello edidit, commentariis multa, quae historiam ejus operum literariam spectant,

(1) Cf. Jacobus Thomasius *de plagio* n°. 602, cit. in *Verdediging van Machiavel* p. 758.

(2) Cff. *Prolegomena* ad librum *del Principe* l. l. p. 994 sq. et passim observationes ill. *Christ.* cap. XIII lib. II.

tant, accurate persecutus est, vitamque ejus criticâ ratione illustravit, adversariorum argumenta fideliter attulit et excussit, viri merita probabiliter exposuit, de hoc igitur jure affirmes, omnes eum omnino, qui ad nostram aetatem de Machiavello memoriae prodiderunt, his dotibus superavisse, et admirabile prorsus esse, eos, qui postea idem argumentum aggressi sunt, non majorem ejus rationem habuisse et laudem ipsi tribuisse.

At vero hodie in praecipuo interpretis officio et laude *ducitur*, ut veram auctoris, *quem illustrare* velit, mentem et adsequatur ipse et aliis declaret, Quod tum demum bene ei cedet, si, exutâ plane sui consuetudine aevi, ita sese in superiorum temporum cogitandi, sentiendi, dicendi rationem insinuet, ut non aliter ipsi appareant, ac re vera fuerint. Hoc autem, uti nostrae demum contigit aetatis felicitati et in vero exquirendo progressioni, quae interius peperit historiae studium, ita illis, quos adhuc commemoravimus, proprium non fuit. Quo minus his vitio verti potest, quod non eâ ratione Machiavelli scriptis operam dederunt, quae a temporibus, quibus floruerunt, prorsus fuit aliena: sed mirum non est, mutato et emendato penitus historiae tractandae modo, eo uberiores jam fructus ad auctorem nostrum redundasse, quo fama ejus priori illa ratione inquinata esset foedius, et germana ejus scriptorum indoles obscurata magis. Undique enim conquirebantur, ubicumque laterent, opuscula ejus: quo factum,

tum, ut et nova fontium accessione insigniter auctae sint editiones, quae, memoria nostra, multae prodierunt, in quibus inedita, si minus pondere, numero certe ea aequant, quae in lucem jam erant prolata (1): et vero, ut viri docti Machiavelli vitam et res gestas instituto critico ejus scriptorum examine illustrarint. Quanto autem hi studio prudentissimum virum rite intelligendi et judicandi in variis Europae partibus ferentur, laudationes, interpretationes, variaque eorum commentaria ostendunt. Ut enim omittam eos, qui non singulari disquisitione, sed data occasione, eleganter saepe, de eo egerunt, Dohmium (2), Sismondium Sismondii (3), Wachlerum (4), Gingueneum (5), Bouterwecki-

(1) Omnia omnino Machiavelli opera, quae hucusque prodierunt (plures enim epistolae adhuc ineditae asservantur: cf. Avenellii nota in *Révue Encyclopédique* A[1] 1829, II[e] Liv. p. 406) continentur editione, quae A° 1813 prodiit, cum titulo: *Italia*. Hanc novissimae Edd. A[i] 1819, 1820; 1821, fideliter expresserunt. Cff. Oeuvres de Machiavel, *Préface du Traducteur* p. 37. Ab his proxime absolutione abest Ed. Mediolan. A° 1804, qua usus fere sum in hac dissert. conscribenda, quaeque partem facit Bibliothecae Classicorum Italorum.

(2) Cf. palmarium ejus opus: *Denkwürdigkeiten meiner Zeit*, T, V pag. 89 — 113.

(3) *Littérature du midi de l'Europe*.

(4) Geschichte der historischen Forschung und Kunst, seit der Wiederherstellung der litt. Cultur in Europa. Georg. Aug. 1812, Band I. S. 166 — 172.

(5) Hist. Litt. d'Italie, Paris. 1819. Tom. VIII C. 32 S. I, II.

kium (1), Stewartium (2), Fred. Schlegelium (3), Rankium (4), Leonem (5); Raumerum (6), Weitzelium (7), alios, Baldellius memoriam ejus apud Florentiae cives gravi et disertâ oratione instauravit: Rehbergius, probatissimus auctor, libellum *del Principe* in Germanicum sermonem vertit, et egregiis animadversionibus instruxit (8): Pe-

(1) Geschichte der Poesie u. Beredsamkeit. T. II p. 272 — 283.

(2) Cf. Encyclopaedia Britannica *in the first dissertation exhibiting a general view of the progress of metaphysical, ethical and political philosophy, since the revival of letters*, by Dugald Stewart Esq. qui inde a pag. 52 — 57 de Machiavello agit: ita autem agit, ut eum plane ex nostri aevi ratione judicet.

(3) Cf. sämmtliche Werke, Edit. A[i] 1822. Vol. II. pag. 50 sqq.

(4) Vid. opus ejus: *zur Kritik neuerer Geschichtschreiber*, Lips. et Berol. 1824 p. 182 — 202.

(5) Cff. ejus *Briefe des Florentinischen Kanzlers und Geschichtschreibers Niccolò di Bernardo dei Machiavelli an seine Freunde, aus dem Italienischen übersetzt von Dr. Heinreich Leo.* Berol. 1826, inprimis in praef. libri.

(6) Vid. opus, cui titulus: *Geschichtliche Entwickelung der Begriffe von Recht, Staat und Politik*, Ed. 2. Lips. 1832. pag. 27 sqq.

(7) In opere: *Geschichte der Staatswissenschaft*, Vol. I. pag. 133 sq.

(8) *Das Buch vom Fürsten von Niccolò Macchiavelli. Aus dem Italienischen übersetzt, und mit einer Einleitung und Anmerkungen begleitet von A. W. Rehberg.* Prima Edit. prodiit Hannov. A. 1810, cujus censuram egit Vir doct. in Ephemer. litt. Jenens. 1810 p. 82, qui ipse quoque multus est in consilio, quod Machiavellus, opusculo *del Principe* condendo, habuerit, declarando: altera, similis prorsus, Hannov. 1824.

Periesius Gallica lingua cuncta ejus scripta sic edidit et ornavit, ut hac editione deinceps carere non possint, qui accuratius Machiavellum tractare cupiant (1). Quin labor ab eo in interpretando egregio scriptore collocatus duabus ansam praebuit scriptionibus, quarum altera in critico opere Edinburgensi (2), altera in bibliotheca Gallica (3), auctore Avenellio, invenitur. Hisce omnibus nuper brevissima de Nicolai Machiavelli principe commentatio accessit Kellermanni (4).

Quamquam igitur hi occupasse omnia et nihil omnino aliorum industriae reliquisse continuo videantur: secus tamen, qui rem pressius consideret, eorumque scribendi consilium cum nostro contendat, existimabit. Omnes enim (Rehbergium et Kellermannum excipio) hoc sibi proposuerunt, non ut librum *del Principe* potissimum explicarent, sed ut universe de Machiavelli vitâ, rebus gestis, operibus, meritis, dissererent, totiusque, quâ vixit, aetatis indolem describerent. Quo factum, ut in Italicarum ejus temporis civitatum an-

(1) *Oeuvres complètes de Machiavel, traduites par J. V. Periès*, 12 voll., Paris. 1823. In vol. I occurrit *Machiavelli historia*, vel, si mavis, temporum, quibus interfuit Machiavellus, historia, docte scripta.

(2) Cf. *Edinburgh Review, March*, 1827 p. 259 — 295.

(3) *Révue Encyclopédique* A[1] 1829. T. I. Liv. I. p. 81 — 105. Livr. II. 376 — 406. Livr. V 324 — 366.

(4) Quam A° 1831 publice Lipsiae defendit.

annalibus replicandis adeo omnem diligentiam consumserint, ut, scribendi ratione ita ferente, singula ejus opera non pertractare, sed leviter tantum attingere, opinionesque suas indicare magis, quam idoneis argumentis probare, potuerint. Rehbergius autem praefatione et, quas singulis fere capitibus addidit, animadversionibus, tum ipsum *del Principe* librum ex aetatis, populi, auctoris conditione et ingenio illustrare, tum Machiavelli doctrinam ad justi utilisque normam exigere, et omnium temporum memoriâ repetendâ vel refutare vel confirmare, tum vero, oblatâ occasione, de gravissimis ipse rebus disputare, in animo habuit. Quorum haec ut diversa plane sunt ab iis, quae ipsi scripto hoc nostro spectamus, ita illorum haud pauca retractanda videntur: maxime, ex quo Machiavelli vita cognita est diligentius, nonnullaque e tenebris in lucem edita sunt, quae occasionem et consilium, quibus liber scriptus est, egregie patefaciunt. Quicunque denique nostra aetate hanc sibi materiam sumserunt, de auctoris consilio, et doctrinae, in opere *del Principe* expositae, cum illâ, quae in quaestionibus Livianis traditur, vel convenientiâ vel repugnantiâ, non minus quam antea dissentiunt.

In tantâ igitur librorum, qui de Machiavello agunt, copiâ et vero praestantiâ, libellum tamen requirebat cl. Heusdius, qui haberet propositum quasi finem et extremum, opusculum

del Principe ita exponere et interpretari, ut lectores nostris temporibus ipsius argumentum auctorisque mentem haud aliter caperent, ac hujus aequales, populares et familiares fecerunt; iidemque simul de artis politicae infantiâ et progressione, quae in Italicorum imperantium rebus gestis et Machiavelli scriptis cernitur, de operis meritis et proprio, quem in civilis scientiae et ipsius adeo humanitatis historiâ occupare meretur, loco, vere judicarent. Missâ disputatione de politicorum consiliorum efficacitate, et exclusis cunctis opinionibus, quae uti recentiorum animis insitae sunt et inhaerent, ita repugnant prorsus superioris aetatis rationi, ante omnia accurate auctoris vita enarranda ipsi videbatur; cumque eâ stricta illarum rerum expositio conjungenda, quae eodem tempore, in Italia maxime, gestae sunt. Nullam enim viam faciliorem aditum ad intimam Machiavellianorum operum cognitionem praebituram affirmabat, cujus scripta et actiones unice fere Italiam spectaverant. Neque a prioribus interpretibus ita perpolita haec omnia censebat, quin, si denuo cum delectu et criticâ ratione vita ejus literis mandaretur, ab aliis bene instituta absolvi posse crederet. Hâc autem ratione praeparatos ad opusculi interpretationem progredi volebat: quippe tum demum et singula Machiavelli placita et universam doctrinam ex ejus scriptis, aetate, Italicarum gentium conditione, illustrari facile, libellique dotes recte judicari posse.

Mihi ut hoc argumentum scribendo persequerer et suasit praeceptor optimus et ſimul auctoritate suâ persuasit. Itaque alacriter opus suscepi, quod mox viribus meis majus et tantis involutum tenebris esse comperi, ut animo despondissem saepius, nisi me iterum iterumque loci gravitas sustentasset. In quo purgando eam maxime rationem secutus sum, cujus nobis in scholis auctor semper fuit Vir Cl., quamque suo ipse exemplo in Platone interpretando omnibus probavit, ut ex ipsis fontibus omnem haurirem orationem, veri studio unice *ducerer*, et cum lectoribus meis Machiavelli opusculum veluti legerem. Hoc igitur secutus sum; adsecutum me esse, quomodo in tantâ et rei difficultate et ingenii mediocritate non prorsus desperem?



LIBER I.

DE NICOLAI MACHIAVELLI VITA, AETATE ET SCRIPTIS.

Machiavelli vita cum nuper a multis docte et copiose conscripta sit, vereor, ne, si a me rursus fuse enarretur, lectoribus et actam rem agere et merito ineptus videar. Sed tantum abest, ut illi omnia, quae in eâ obscura occurrunt, explanaverint, ut ne nos quidem, qui idem argumentum denuo diligenter aggressi sumus, illud penitus illustrare potuerimus: et postulat plane consilium nostrum, ut, qualis vir fuerit Machiavellus, quibus temporibus vixerit, quaenam scripserit, pernoscamus. Haec disquisitio fundamentum erit, quo tota de opusculi ejus indole ac fine disputatio superstruenda sit. Viri enim scripta, quae cum ejus aetate intimâ cognatione conjuncta fuerunt, perpetuo ignorabimus, nisi et auctoris vitam spectemus et tem-

porum, quibus vixit, imaginem nobis repraesentemus. In eo autem diversum a priorum interpretum ratione propositum nostrum est, quod eatenus tantum in Machiavelli vitam, aetatem et scripta inquiremus, quatenus hoc ad opusculi *del Principe* intelligentiam necessarium videbitur.

Natus igitur est Florentiae, A° 1469, parentibus pauperibus, sed stirpe generosa. Quonam adolescentiae initio usus sit, ignotum. A° 1494, quo expulsa est, quae diu civitatem tenuerat, Mediceorum domus, delatus est ad rempublicam, auctore et duce, ut videtur, Marcello Virgilio, doctissimo viro. Qui cum mox ad amplissimos honores adscenderet, Machiavellus cum alii officio praeesse coepit, tum, A°. 1499, Florentinae reipublicae creatus est Graphiarius. Hoc munus, literatissimis civibus potissimum tributum, ut Leonardi Aretini, Caroli Marsuppinii, Poggii Bracciolinii, Benedicti Accolrii, Landini, aliorumque exempla testantur, in quorum scientia summa reipublicae dignitas videbatur (1), pruden-

(1) Pignottius, in opere, *Storia della Toscana*, Liburn. 1820. Vol. V. p. 259 ea de re haec animadvertit: „ Non può il lettore non ammirare la savièzza della Re„ pubblica fiorentina nello scegliere i suoi Segretarj frà i „ primi letterati; l'istoria di essi forma una parte dell' isto„ ria delle lettere. Si usa talora ricercar la ragione per cui „ Firenze fosse sì affolata di dotti uomini, e se ne adducono „ delle cause lontane e ricercate, quando la vera è sì „ ovvia, cioè l'onore in cui s'avevano, il conto, che „ se ne faceva, e le importanti cariche, a cui s'inalza„ vano. "

prudentissimus vir usque ad Mediceorum reditum A° 1512 retinuit.

Itaque hoc spatio, Mediceorum exsilio, prima ejus vitae pars continetur. Erat haec actuosa, et veluti prolusio ad alteram illam, quam fere otiosus transegit, cui multa et praeclara scripta, quibus nomen suum immortalitati commendavit, debemus. Adolescens, totus rebus gerendis deditus, nihil fere scripsit, nisi illa, e quibus intelligimus, quod caeteroquin ignoraremus, quanta negotia perfecerit. Significo concinnam ejus et accuratam legationum, quas cum apud Italos, tum apud Gallos et Germanos pro republicâ obiit, ad Florentinum Senatum relationem. Declarat haec Machiavellum, per optimam vitae partem, non in senaculi cancellis delituisse, sed multorum principum et gentium mores studiaque explorando, varia rerum publicarum et regnorum genera perscrutando, magnam aetatis suae et naturae humanae cognitionem sibi comparavisse. Quo minus nobis mirum accidit, tantâ eum valuisse politicâ prudentiâ, quantâ scripta ejus elucent.

Fuit enim hoc pulcherrimum et perpetuum plerarumque Italiae civitatium ab antiquis inde temporibus institutum, quod deinde ad reliquam fere Europam manavit, ut earum legati apud exteros omnia illa, quae ipsis in legatione notatu digna occurrerent, ad eas statis temporibus referrent. Pertinebant huc non tantum regum indoles, aut consilia, quae ab iis, ad quos missi essent, agitarentur;

tus: sed, ut erat quis sapientissimus, ita quaecunque naturalem, civilem et moralem populi statum illustrarent, attendere solebat maxime. Abiit hic mos egregie politica studia, quae tantopere in Italia viguerunt: neque aequalibus magis quam posteris salutaris repertus est. Magnam enim lucem attulit recentiorum gentium rebus gestis rite cognoscendis: majorem etiam aliquando iis affundet, si, quae adhuc in bibliothecis latent, ad publicam notitiam protracta erunt (1). Machiavelli autem legationes egregie ea illustrant, quae postea in *otio de rebus civilibus* memoriae prodidit; sed neque haec, nec illae intelligi possunt, nisi paucis temporum historiam, in quam vita ejus incidit, recoluerimus.

CAPUT I.

Res Europae, inprimis Italiae, ab A°. 1494–1512.

Machiavellus igitur tum floruit, cum *novam ingredi coeperunt* aetatem gentes Europeae, et e longo barbariei

(1) Spectamus prae caeteris Rankii opus, cui titulus: *Fürsten und Völker von Süd-Europa im sechszehnten und siebzehnten Jahr-hundert, vornehmlich aus ungedruckten Gesandtschaftsberichten.* Hamburg. 1827. *Vol.* I, qui de latentibus hisce thesauris in libri praefatione docte disputavit, multa nova atque egregia ipse protulit, plurium etiam nobis spem fecit, quae adhuc aegre desideramus.

riei somno ad humanitatis veluti vitam evigilaverunt. Sub seculi decimi quinti finem Africam circumnavigaverunt et in Indiam tetenderunt Portogalli: reperta fuit ab Hispanis America. Quae res quam penitus commercium inter populos mutaverint, notum est. Vivo adhuc Machiavello, importunum hierarchiae jugum excusserunt Germanicae originis populi: et, quamvis Italiae civitates sacram Pontificis dignitatem agnoscere pergerent, longe plurimarum tamen regionum praefecti politicam ejus auctoritatem impatienter tulerunt. Factum ita est, ut ad aliam deinde normam res inter gentes moderarentur et componerentur, utque se ipsae regerent, nec amplius ab unius nutu omnes penderent.

Neque hic substitit ingens illa rerum conversio. Quod nobis minime negligendum est, in politica gentium ratione describendâ versantibus, interna plerorumque regnorum disciplina, auctâ regum potestate et laxato regiminis feudalis vinculo, confirmata fuit. In Hispaniâ Ferdinandus Aragonius matrimonii jure Castellam, belli opportunitate Granatam avitae junxit ditioni: et magnorum vasallorum tum insolentiam fregit, tum ardoris impetum a seditione adversus dominum ad praeclara quaeque contra regis et religionis hostes facinora prudenter revocavit. Variis denique artibus regiam potestatem tam reddidit eminentem, ut successoribus viam ad infinitum adeo ac liberum imperium sterneret. Ludovicus XI per totam vitam strenuum sese praebuit jurium suorum adsertorem, et magnâ

na terrarum accessione patrimonium amplificando fundamenta jecit illius potentiae, quam, a filio ejus adauctam, Galliae reges deinde exseruerunt. Idem in Anglia, regnante Henrico VII, obtinuit, compositis crudelissimis illis et diuturnis inter domus Eburniae et Lancastriae bellis, quae universam regionem dilaceraverant. In Germaniae vero imperio multis institutis privatorum licentia, rapina et vindicta, quae intolerabilem in modum excreverant, frenari, et tam Imperatoris quam caeterorum principum jura legibus ordinari coeperunt. Maximilianus, *Mariam uxorem ducens*, ditissimum Burgundiae patrimonium obtinuit. Helveti tandem, fortissimi pedites, fere in nullis non regionibus principes in bellis partes agere solebant, et plurimum licitantem strenue adjuvare. Quae igitur antea in sedandis et comprimendis vasallorum tumultibus potissimum cernebatur regum diligentia et alacritas, eam hi nunc latius inter sese extendere coeperunt. Exstitit ita, cujus olim vix umbra apparuerat, societas inter gentes; neque amplius gravioris quid momenti apud populum cultiorem locum habuit, quod caeteri aut ignorarent aut negligerent.

Italia, omnium prima, insignem hujus mutationis vim damno suo experta est. Ibi diuturno otio infinita bella successerunt. De cujus rei causis in diversa omnia abeunt scriptores. Sed, qui aetate proximi fuerunt, et illius regionis fata maximâ cum sagacitate memoriae prodiderunt, Machiavellus et Guicciardinus, horum alter opus suum inchoavit,

al-

alter confecit, deplorandâ calamitate, quam illa Laurentii Medicei morte perpessa erat. Cujus egregii civis prudentiâ et constantiâ Guicciardinus factum esse arbitratur, ut Italiae res in eâ constiterint aequabilitate, quâ in neutram partem propenderent. Nam, quod proposuerat sibi, increscenti in dies Venetorum audaciae frenum injicere, tum, ne qua res in Italiâ novaretur, cavere, tum in primis amicitiam inter principes servare, hoc felicissime perfecit. Arcte sese cum Ludovico Sfortia, qui Mediolanense imperium usurpavit, et Ferdinando Aragonio, Neapolitarum rege, conjungens, caeteros regulos et civitates tanti foederis auctoritate in societatis communionem protraxit, cui id maxime propositum erat, ne Venetos, populum, singulis quidem sociis majorem, conjunctis vero multo inferiorem, potestatem suam ulterius crescere permitterent. Ipse autem, incredibili ad persuadendum vi praeditus, Innocentium VIII, Ferdinandum, Sfortiam dissidentes conciliare, et ad pacem conservandam omnia referre solebat. Cujus igitur tam alta illustristrissimo scriptori jecisse fundamenta videbatur, ut tempore mortis ejus, non modo praesentis mutationis nullus esset metus, verum ne suspicaretur quidem facile quis, quibus aut consiliis, aut casibus, aut armis turbari tanta quies posset. Sed aetatis flore ereptus est, quem universa mox Italia desideravit. Nobis autem difficile quidem videtur ad credendum, Laurentium re verâ tam bene de universâ Italiâ meruisse, in cujus vitâ et gravissimarum rerum gu-

gubernatione multa merito reprehendas; sed tamen historicos, qui subsequentium temporum miseriam viderunt, ejus morti, cui multa tribuenda sunt, omnia tribuisse, non miramur. Neque negari potest, aequilibrii inter gentes constituendi notionem Italis jam eo tempore ante oculos versatam fuisse, tanquam unicum praesidium, quod omnium salutem adversus incredibilem singulorum avaritiam tueretur.

Dubium autem est, utrum Laurentii mors an Roderici Borgiae ad pontificiam dignitatem adscensus majora Italiae mala pepererit: cum et Mediceus et Innocentius *successores* nacti sint decessoribus dissimillimos. Namque Alexandri VI vitia et virtutes adeo, rara quadam conspiratione, tot laboribus partae tranquillitati periculosa erant: in Petro Mediceo, quem Florentinorum civium pietas paternis honoribus ornaverat, paterni consilii et moderationis ne umbra quidem apparuit. Itaque mox compertum est, quanta mala ex hac principum mutatione Italiae imminerent. Discordiae enim inter Ludovicum Sfortiam, qui pupilli, legitimi ducis, jura usurpare velle videbatur, et Neapolitanum regem, cujus filius natu maximus Alfonsus Joannis Galeacii Sfortiae socer erat, atque Ferdinandi lites cum Pontifice Romano de hujus juribus in regnum Neapolitanum, quas Laurentii sapientia sopierat ac paene sustulerat, nova vi eruperunt. Primas autem incendii scintillas, quo mox tota Italia conflagravit, Petri Medicei imprudentia excitavit. Hic enim, domestici exempli prorsus immeme-

memor (1), non communem Sfortiae et Ferdinandi amicum se praestitit, sed totum se huic addixit. Quae res simul ac nota fuit, vehementer Ludovicum Sfortiam commovit, qui nihil agitavit magis, quam ut perpetuum imperium ab Aragoniorum vindicatione muniret. Itaque non intra Italiae fines substitit inquietus viri animus: sed, a profugis nonnullis, Italis proceribus (2) et imprudentibus consiliariis Gallicis, adjutus, Carolum VIII, adolescentem gloriae cupiditate inflammatum, in regni Neapolitani invasionem pellexit, quod veteri Angovinorum jure sibi competere, a prima inde juventute, crediderat (3): quamquam pater, pru-

(1) „ Piero non se ne consigliò con gli amici vecchi, ma „ con gente nuova, tanto che si fece lega con Alfonso." Machiav. *frammenti istorici* Oper. Vol. IX. p. 301.

(2) Praeter hos quoque Alexander VI Carolum ad expeditionem in Italiam excitavit. Cff. *frammenti istorici*, p. 300. „ Papa Alessandro volle, che Alfonso desse ad un „ suo figliuolo la sua figliuola, e non volendo il Re, se „ ne sdegnò, donde che Alessandro scrisse al Re di „ Francia, come egli venisse alla ricuperazione del regno „ di Napoli; donde che Carlo, *se prima vi pensava*, co„ *minciò ad averne voglia.*" Sed brevi sententiam mutavit, p. 301. Cf. Rankius in egregio opere, cujus tamen, more suo, partem tantum edidit, *Geschichten der romanischen und germanischen Völker von* 1494 bis 1535, Lips. et Berol. 1824. Vol. I. p. 30.

(3) Cff. Guicciard., l. l. L. I. p. 8. Roscoi *Leben und Regierung des Pabsts Leo des Zehnten*, T. I. p. 148—151, inprimis autem Gibbon: Critical researches concerning the title of Charles VIII to the crown of Naples. Miscell. Works, Lond. 1814. T. 4. p. 206—223. et Rankius, l. l. p. 9—12.

prudentissimus vir, nunquam novae dominationis propositam spem Galliae damno amplecti voluerat. Ille igitur, superatis Alpibus, Italiam invasit, ut Neapolitani regni expugnatio ipsi ad expeditionem contra Turcas suscipiendam viam sterneret. Hujusce expeditionis fama non prius ad Italos pervenit, quam excitata sunt ubivis sparsa dissensionum civilium semina. Proprii autem commodi studium, quo imperantes ducebantur, subditorumque vota, qui sese miseros et oppressos sentiebant (1), effecerunt, ut quae regio communibus viribus facile a quavis irruptione defendi potuisset, brevissimo tempore, sponte hosti sese traderet. Namque Franciae Regi prospere omnia cesserunt: multis locis insigni gaudio et honore exceptus est: festa potius celebratum, quam militatum, cum nobilium flore advenisse videbatur (2). Incredibilis Petri imprudentia Mediceorum exsilium et imperii popularis constitutionem si non attulit, certe acceleravit. Alexander VI Romae regem recipere, quam urbis aditu arcere, satius judicavit. Interea, cum ibi versatur Carolus, mag-

(1) „In Italien thaten Viele Gelübde und Gebete für „seine Ankunft: sie nannten ihn gern den allerchristlich„sten König: sie sagten: Gesegnet sey der da kommt „im Namen des Herrn. Die Unterdrückten sagten diesz; „und dasz waren die meisten." Rankius, l. l. p. 13.

(2) „Wie nirgends widerstanden ward, wo die Fran„zosen nur erschienen, fragten sie einander selbst, was „das sey. Einige sagten: „Es ist ein Geheimniss Got„tes." Einige: „Ihr Latein und Griechisch macht sie „so feig." Idem, l. l. p. 43.

magna vasallorum pars arma contra Alfonsum II sumsit. Qui quum conscius sibi esset, se subditorum odium propter crudelitatem meruisse, quamvis naturâ fortis, in egregii filii Ferdinandi favorem regno sese abdicavit, seque ex eorum insidiis fugâ eripuit. Hic vero, ab exercitûs praefecto turpiter proditus, a populo suo desertus, patris exemplum secutus est: ita ut Carolus VIII, 21 die mensis Februar. A. 1495, maximo omnium applausu et laetitia, urbem intraverit, cujus incolae ad eum, tanquam ad patrem, concurrerunt. „Ita, ait Guicciardinus, „ intestinis dissidiis, quibus cele- „ berrimorum principum nostrorum sapientia ob- „ scurata erat, praeclara ac praepotens Italiae „ pars, summâ cum ignominiâ, et Italicae militiae „ irrisione, gravissimo omnium cum periculo at- „ que infamiâ, ab Italorum imperio ad Transalpi- „ narum gentium dominationem translata fuit."

Non tamen tam supina fuit Italorum principum socordia, quin statim animadverterent, quam grave ipsis damnum et ignominia ex cursu hoc triumphali imminerent. Ferdinandus cum patre, quibus auxiliis Gallos regno expellere posset, sedulo prospexit. Itaque ad Hispaniae Regem confugiunt, nihil magis optantem (1): quod consilium et ipsis et Italiae fatale compertum est. Namque hic sibi regnum expugnare voluit, quod meliore jure quam Carolus VIII, et ipsi forte exsules reges, vin-

(1) Rankius, l. l. p. 59.

vindicare potuit. Erat enim Alfonsi I, Aragoniae, Siciliae et Neapolis Regis, nepos: qui, praeteritis legitimis haeredibus, spurio suo Ferdinando, Ferdinandi II avo, jura sua reliquerat. Nemo autem Gallorum praesentiam aegrius tulit quam illius auctor Ludovicus Sfortia: qui ducis Joannis Galeacii morte omni metu liberatum se sentiebat, et jam tam Ludovicum, Aureliani ducem, merito timebat. Non igitur quievit, priusquam ubique civitates contra Gallos sollicitasset: et foedus illud sacrum (1) inter Mediolanenses, Venetos (2), Pontificem, Maximilianum et Ferdinandum Catholicum effecisset, cujus verus finis esset, communibus viribus Carolum Italia exterminare. Qui vero, ubi tam potentem adversus se societatem concitatam esse animadverteret, regnum (nam ita Neapolitana regio κατ' ἐξόχην dicebatur) relinquere properavit. Paucis tamen ante discessum diebus solemniter maximâque celebritate in primario urbis templo Neapolis, Siciliae, Hierosolymarum Rex inauguratus est. Exercitûs partem tantum remanere, et arces, oppida, urbes occupare jussit:

(1) Ita appellari solebant foedera, quorum participes erant Pontifices Romani.

(2) „ Wasz sie bewegte, war nicht grad allein die Ehre, „ die Einheit Italiens, es war ihre eigene Gefahr. Denn „ man musz wissen, dasz dieselben Ansprüche, wel- „ che Loys auf Mayland machte, auch auf einen guten „ Theil der venetianischen Besitzungen, die einst in Jo- „ hann Galeazzo Visconti, seines Ahnherrn, Gewalt ge- „ wesen, ausgedehnt werden konnte." Rank. p. 61.

sit: omnibus in patriam redire flagrantibus, quasi eadem fortuna, ut rursus Guicciardini verba afferamus, cujus beneficio tantam erant victoriam adepti, satis ad eam conservandam videretur.

Magnâ levitate et susceperant expeditionem Galli, Turcarum adeo dominationem somniantes, et semel susceptam perfecerunt: tantaque insolentia, avaritia, impudentia rebus secundis usi sunt, ut, quod omnes fere significaverant, Gallorum desiderium in ardentissimum odium commutarent. Itaque, cum Ferdinandus II ad terram adplicasset, copiis, quas ipse in Sicilia coegerat, et parvâ Hispanorum manu, a Gonsalvo Cordubensi ductâ, stipatus, brevi post eodem civium favore urbem ingressus est, quo, non ita pridem, Carolus gavisus fuerat: qui, icto foedere, tandem cum exercitus reliquiis, victo quam victori similior, in Galliam rediit.

Gallorum autem discessu Italiae res nequaquam compositae sunt. Remanserant enim Hispani, nondum ab his expugnando recuperata in regno oppida, Gallis addicta Florentinorum respublica et Orsinorum factio: instauratus erat perniciosissimus ille mos, in his diebus adhuc vigens, quo Italiae res non ab ipsis Italis, sed exterarum gentium lubitu, moderarentur (1): verbo, ubivis futurarum contentionum

ini-

(1) „ Die italienischen Glieder der Liga hätten sich „ wohl mit einem Sieg über ihre Feinde in Italien allein „ begnügt; die auswärtigen wollten mehr. Hernando dach- „ te

initia apparebant. In primis Pisarum occupatio maximis turbis ansam praebuit. Carolus enim urbem, quae A° 1494, excusso, quod per 87 annos toleraverat, jugo, sese ipsi dederat, statim quidem Florentinis reddere promiserat: sed militum ejus dux propria auctoritate arcem i. e. libertatem incolis tradidit (1). Hanc Florentini vi recuperare gestiunt: Pisani ubique in Italia et Europa auxilium sibi implorant, quod a Venetis et Sfortia obtinent, qui totam Italiam barbarorum dominationi subtrahere sibique subjicere volebant. Ipse adeo Maximilianus, apud quem peregrinorum in Italia praesentia priscae Imperatorum in hac regione auctoritatis memoriam renovaverat, dissidiis istis finem facturus et Gallis redeundi praetextum praerepturus in Tusciam proficiscitur (2). Qui tamen, more suo, infectâ re, repen-

„ te schon an seine Rechte auf Neapel, und liess beym „ Pabst darum anfragen. Maximilian hoffte, mit Hülfe dieser Liga, wider Frankreich selbst einen Schlag auszuführen." Rank. p. 83.

(1) Cf. Machiav., *Frammenti Storici*, Op. T. IX. p. 521. Rankius, l. l. p. 99. „ Es war den Pisanern genug, nur „ ihren alten Feinden nicht unterworfen zu seyn. Wer „ sie gegen diese schützte, war ihnen auch als Herr willkommen."

(2) Cff. *Framm. istor.* p. 338. „ Era venuto un Oratore „ a Firenze dall' Imperadore. Espose che il Re de' „ Romani voleva passare in Italia per andare a Roma, „ e l'intento suo era riunire la cristianità, e farsi da „ Italia; e richiedeva che vi dichiarasse in favore della „ lega, dolendosi prima dell' esser Francesi, e che si „ levasse l'offese a' Pisani."

pente domum redit (1). Dum haec pericula Florentiae minantur, a Venetis in primis oppressae, (nam Sfortia brevi ex hoste factus est socius (2)) et omnia intus agitantur (3), Medicei, omni opera, sed frustra, armis urbem recipere tentant (4). Alexander, eodem tempore, nobilium gentium Romanarum arrogantiam frangere, earumque lumen domus suae splendore obscurare coepit. Regnum interea factionum lubidine dilaceratur.

Interim quotidie Gallorum in Italia potentia, Regis socordiâ, adeo decreverat, ut tam ipsi, quam Florentini, causâ cecidissent, nisi A° 1498 mortuus esset Carolus, Franciae imperium Ludovico XII relinquens. Hic nihil potius habuit, quam suam ad res Italicas propensionem palam ostendere. Neque solum propter sua in Galliam et Neapolin jura Hierosolymorum et utriusque Siciliae Rex,

(1) Macchiav. *Frammenti Storic.* p. 346 sq. Rankius l. l. p. 113.

(2) Vid. Machiav. *Framm. Storic.* l. l. p. 362. » Il » Duca di Milano, parendogli che i Viniziani ne volessino troppo, si volse con gli ajuti ai Fiorentini per » l'impresa di Pisa, disegnando per avventura straccare » queste due Repubbliche, per potere più facilmente essere arbitro d'Italia. » sqq. inp. quoque p. 370 sqq. Cff. *Estratto di lett. ai dieci di Balià* p. 388, 389. *Decennalià* Dec. I. Oper. Vol. VIII p. 315.

(3) Internam Florentiae conditionem egregie adumbratam vide a Rank. l. l. p. 103-123. et Guicciard. l. III. p. 120. Ed. Bas. a 1566.

(4) Cff. *Frammenti Storici.* et *Estratto di lettere ai dieci di Balià* passim.

Rex, verum etiam ob aviae Valentinae successionem, Mediolanensis Dux appellari, hujusque regionis possessionem armis sibi asserere voluit. Stimulavit hunc regis impetum Pontifex, qui, modo suum dominandi furorem, et odium in Fredericum, qui ipsum ab affinitate et magnam Regni partem acquirendi spe excluserat, expleret, id quibus modis adsequeretur, nihil quidquam pensi habere solebat. His igitur conditionibus uterque societatem ineunt, ut alter sacra sua auctoritate alteri ab uxore divertere permitteret: rex, quam primum Mediolanense imperium occupasset, Pontificem se armis et pecuniâ ad ditionis fines dilatandos adjuturum, reciperet. Caesar Borgia quoque ex Cardinali et Archiepiscopo factus est miles et dux Valentinus: indolem non mutans, sed explicaturus. Venetos, quos ancipitis Ludovici Sfortiae animi et fidei pertaedebat (1), nonnullarum urbium in agro Mediolanensi possidendarum spes in regis favorem et auxilium rapuit.

Soli Florentini, qui semper a Caroli VIII partibus steterant, post hujus mortem, Gallorum amicitiam minus avide amplectebantur. In dies enim glis-

(1) *Estratto di lettere* p. 388. » In questo tempo i Vi-
» niziani disegnarono mandare nuove genti a Pisa, e chie-
» sero il passo a Milano, il quale fu negato loro, e co-
» minciò il Duca a riscaldarsi tanto, che era cosa incre-
» dibile; *non si accorgendo che quanto egli oltraggiava i*
» *Viniziani, tanto più gli sollecitava a stringersi con*
» *Francia; che fu poi causa della rovina sua.*"

gliscens inter Venetos et Mediolanensem ducem dissensio fecerat, ut, metu foederatorum sublato, potius in propinqua ac certa Longobardiae societate, quam in remotis incertisque Galliae auxiliis spem collocarent (1). Sed tamen, cum vererentur, ne, si Ludovico Sfortiae palam adhaererent, Rex, per Pontificem et Venetos, socios suos, Pisarum recuperationem impediret, neque Galliae regi nec Mediolanensium duci se applicare, sed ipsi Pisanum bellum conficere voluerunt (2). Haec autem Ludovici expeditio non minori successu, quam illa Caroli, suscepta est. Sfortia, ab omnibus sociis relictus, a Guelforum factione proditur. Ipse ad imperatorem Maximilianum confugit, cuncta quidem Gallis relinquens, sed mox eo rediturus, ubi multorum subditorum desiderium eum vocaret. Verum, eodem tempore, quo victorem a multis urbibus repulsurus videbatur, per Helvetiorum traditionem in hujus manus cecidit. Qui fortunae beneficio immaniter abutens, illum, ad mortem usque, per decem annos, solitario et horrido carceri inclusit; legitimum autem Mediolani ducem in monasterium coniecit (3). Mediolanum et Genuam Ludovicus XII sibi retinuit: Cremonam Veneti in auxilii praemium acceperunt.

Ita-

(1) Cf. Guicciard. *Hist. sui temporis* lib. IV. init.

(2) Id. lib. IV. p. 148.

(3) Cf. omnino Sismondii *Histoire des Républiques italiennes du moyen age. Ed.* 4to. T. IX. p. 262.

Itaque cum ad victorem, praeter Fredericum, Neapolitanum regem, qui a° 1496 Ferdinando II. successerat (1), omnes Italiae principes et civitates concurrerent, reliquos Ludovicus benigne excepit: Florentinorum vero auxilium rejecisset, nisi propriae utilitatis studio iram vicisset (2). Hi, ut Pisis, quas per omne hoc tempus in obsidione tenuerant, potirentur, ejus opem impetrarunt (3). Jam vero inter regios duces magna exstitit contentio, utrum Pisanos, se suaque Gallis offerentes, audirent, an vero prememerent obsidionem. Posterius Beaumontio placuit: quem tamen, in oppugnandâ urbe, tantâ exceperunt cives fortitudine et prudentiâ, ut non solum eam non ceperit, sed in castris ejus, magnâ cum Gallorum offensione, omnia turbata sint, et Pisani varia munimenta occupaverint. Cujus rei turpitudinem Ludovicus arrogantius quam aequius in Florentinos conjecit (4). Hi, ne Gallorum animum a se alienarent, quorum operâ, in dies magis magisque in prae-

(1) Trium annorum spatio Neapolitano regno quinque reges praefuerunt, Ferdinandus I, Alfonsus II, Ferdinandus II, Carolus VIII et Fredericus.

(2) Inita pactio fuit A° 1499. Cf. Simond. l. l. p. 242.

(3) *Decenn.* I p. 318.

» Voi vi ritrovavi in gran timore,
» Per esser suti un po' troppo infingardi
» A seguitare il Gallo vincitore.
» Pur dopo la vittoria co' Lombardi
» Contento fu di accettarvi, non sanza
» Fatica e costo, pel vostro esser tardi."

(4) Cf. Sism. p. 276. in primis autem Macch. *Decenn.* I. p. 320.



praecipiti versantibus Italiae negotiis, carere amplius non poterant, hanc calumniam, mittendis legatis, inter quos Machiavellus fuit, a se repellere conati sunt. Nam Caesar Borgia, recenti Gallici regis amicitiâ et praesentiâ fretus, ut omnes Romaniae urbes sibi submitteret, novumque sibi imperium pararet, non astutiae, non vi, nullis denique artibus pepercit (1): et, sive Mediceis faveret, seu Tusciae partem appeteret, periculosissimus Florentinis vicinus exstitit. Dum autem hic turpia quaeque meditabatur, nefario scelere Ludovicus et Ferdinandus Aragonensis sese obstrinxerunt, ut egregium Neapolitanum regem, Fredericum, regno ejicerent, praedamque inter se dividerent. (2). Tantam sociorum culpam Pontifex Alexander sacrâ muneris auctoritate non minuit, sed auxit etiam. Infelix Fredericus in Galliam contendit, ubi specioso se titulo ornari et ad mortem usque à Ludovico ali passus est. (3).

Ab

(1) De Romaniae statu cf. Guicciardinus l. IV. p. 156.

(2) Cf. Sismondius l. I. p. 285 sq. *Decenn.* I. p. 320. » Appresso a queste venue nuova gregge etc. «

(3) Cf. *Rankius* l. l. p. 181, qui de Sforzarum et Aragonensium stirpibus, diu conjunctis, eodemque fere tempore exstinctis, ita disputat. » Fragen wir nach, was sie leisteten, » so ist den Italienern durch sie geglückt, was ihnen nur » selten geschehen, dasz sie eine Zeitlang von dem Einflusz » fremder Nationen frei blieben. Wurde Frans Sforza » nicht Herr der Lombardey, so wurden 's die Franzosen, » gab Alfonso nicht seinem unächten Sohn Neapel, so zog » schon damals ein Spanischer Unterkönig ein. « — » Nun » muszten sich diese beyden Geslechter hauptsächlich am » neue-

Ab eo igitur tempore certum erat, Italiam a duorum perfidorum principum lubidine prorsus pendere, qui de imperio ipsi inter se certarent; uter autem utri in hac dimicatione praestaret, adhuc incertum (1). Avide eorum exemplum secuti erant cum alii minores principes, in gravissimo hoc multarum civitatum naufragio sibi quisque praedae particulam praeripere studentes, tum omnium callidissimus, Caesar Borgia. Hic universam Tusciam sibi forte subjecisset, nisi identidem cupiditati ejus frena injecisset Gallorum prudentia. Interim tamen magnam Romaniae partem suam fecit: illasque regiones, a pristinis dominis oppressas et expilatas, imperii severitate pacavit: inimicorum suorum omnium furorem, quos blandimentorum illecebris irretire non potuit, insidiis et vi exstin- [illegible] xit: [illegible]

» neuerer Frauen willen trennen; das eine muszte die Franzosen, das andere die Spanier rufen; nachdem sie einander geschwächt, half keine Vereinigung; die Gerufenen traten zusammen, und vernichteten beyde. Zusammen sind sie emporgekommen, haben zusammen geblüht und sind zusammen untergegangen."

(1) » Um diesen Rest der Spanischen Besitzthümer ward ein ritterlicher Krieg mit guten Waffen geführt. Hier waren die Helden, die Ariost gesehen, als er von seinen Rüdigern und Rinalden zu dichten anfing." Inter Gallos eminebant Imbercurtius, Aubignius, Palicius, Montoisonus, Fontraillius, et in quo uno omnes, quae vero Equiti propriae esse censebantur, dotes atque virtutes mira consensione conspiravisse videntur, Bayardus: inter Hispanos Petrus Navarra, Pezius et Gonzalvus Cordubensis, Cf. Rankius, l. l. p. 197 sqq.

xit: quo firma futurae potentiae fundamenta jecisse videbatur. Sed in medio victoriarum cursu mors patrem occupat, quem fortunarum et principium et finem habuit, quique, ut filio Tusciae adipiscendae opportunitatem praeberet, novâ perfidiâ, Hispanorum ope, Gallos ex Italiâ pellere meditatus esse dicitur. Nam, quidquid tentaret, gravi morbo aeger, impedire non potuit, quin capitalis ipsius gentis adversarius, Cardinalis Julianus Roverianus in Pii III. locum, qui, paucis illis diebus, quos regnaverat, optimam suarum virtutum spem fecerat, Pontifex maximus diceretur. Itaque brevi eandem, quam aliis ostenderat, perfidiam ipse expertus est. Aegre enim Julii II et Gonsalvi dolis clandestina eum fuga subtraxit. In Navarensi regno reliquum aetatis tempus consumsit. Sed, quod semper fere evenire videmus, vix initâ hac sceleris societate, ubi de dividundâ praedâ ageretur, brevi inter partes a verbis ad arma ventum et cruentis proeliis tentata res est. Primum Galli, deinde vero Hispani, superiores exsistunt. A. 1504 cladem illam ad Garilianum fluvium acceperunt Franci, quae non tam ob Petri Medicei mortem memorabilis est, quam ideo, quod regni Neapolitani amissio et Hispanici imperii confirmatio insecuta sit. Liberum in patriam terrâ marique reditum stipulatus sibi erat Ludovicus; exercitus vero pars tempestatibus afflicta est, pars morbis pestiferis, algore et mediâ periit. Quod sperare vix potuerunt Franci, ita transactum negotium est, ut inter His-

Hispaniae Regem, et Germanam Foisseiam, Gallici regis e sorore neptem, connubium contraheretur, omnesque regni provinciae, quae Gallorum fuerant, Ferdinando Catholico doti darentur: qui vicissim socio, decem annorum spatio, septies centena aureorum numorum millia pro sumtibus resarciendis persolveret. Foedus autem hoc incredibili modo afflictae Italiae pacem afferre videbatur: non tamen attulit. Nec enim semel excitatae cupiditates sopitae erant: et cernebantur ubivis minime obscura imminentium bellorum signa (1).

In civilibus illis procellis, quae Italiam perturbaverant, omnium maxime sibi consuluerat Venetorum respublica, et ad magnam pervenerat auctoritatem: sed hoc ipsum invidiae tempestatem in eam excitavit. Galliae Rex, Imperator et Pontifex, suum singuli titulum interponentes, eas urbes recuperare volebant, quas Veneti sensim sensimque sibi vindicaverant, simulque hujus civitatis potentiam in perpetuum frangere (2). Initum ita est foedus illud Cameracense, quod maximis quidem tenebris involutum fuit, sed accurate tamen definivit, quo quisque socius modo communem hostem aggrederetur et quaenam spolia referret. Impendentibus autem undique periculis civitas non

suc-

(1) Cfr. omnino *Decennal.* I. in fine:
» Non è ben la fortuna ancor contenta" etc.

(2) Cf. Sismondius l. l. Cap. CV. Rankius, I. l. p. 303 sq. *Decenn.* II. p. 333.

succubuit, sed ita sola restitit, ut ne omnium quidem saeculorum posteritas unquam tantae fortitudinis immemor futura sit. Infinitum est, cunctas machinationes et dolos persequi, quibus, prae suo quique commodo omnia postputantes, alii aliis insidiati sint, et a societate is defecerit, cui aut alienae magnitudinis metus aut suae conservandae studium illud suadere videretur. Sic Julius II, veritus, ne Galli universam Italiam, quae ad septentrionem sita est, occuparent, facile se in Venetorum, multas urbes ipsi tradentium, auxilium adduci passus est; quemque in iis persequendis prae se tulerat ardorem, eum ad repellendos Gallos adhibuit, quorum ex Italia ejectio ab eo inde tempore praecipua ipsi cura fuit (1). Itaque Imperatorem Maximilianum a sociis distrahere, Genuam contra Gallos sollicitare, Henricum VIII, ut ad Galliam adplicaret, permovere studuit: quod autem maximi momenti fuit, Ferdinandus omni modo consilia ejus adjuvit. Praeterea Pontifex satis amplas copias ex Helvetiorum gente conduxit. Alfonsus, Ferrariensis dux, acerrimus Venetorum adversarius, omnium primus ejus vindictam et impetum expertus est: quip-

(1) » Ludwig wolle die anderen Fürsten zu seinen Va- » sallen und ihn zu seinem Caplan; aber er wolle diese » Tyranney nicht erleben, er wolle ihn aus Italien verja- » gen, und seyen seine Sünden daran Schuld, dass er das » nicht vermöge, so wolle er nicht weiter leben. Für » die Befreyung Italiens wolle er sein Blut vergiessen." Rankius, l. l. p. 323. Zuritam secutus.

quippe quem et regno et honoribus privavit, et cum omnibus ejus sociis damnavit. Hoc adeo aegre tulit Ludovicus, ut non profanam magis pontificis auctoritatem quam sacram frangere agitaret. Quam ob rem ad diem 1 Sept. A°. 1511 Pisis concilium congregari jussit: coram quo Pontificem in judicium vocavit (1). Tum autem intellectum est, quanta adhuc esset in hominum mentibus sacrosanctae pontificiae dignitatis persuasio aut saltem reverentia. Ecclesiae enim primores aderant paucissimi: quique Pisis sacro munere fungebantur, primarium urbis templum claudebant, omniaque instrumenta, quibus ad festa celebranda opus esset, pertinaciter negabant, illegitimam et impiam appellantes totam illam congregationem.

Ira exacutus Julius II arctius etiam se cum Ferdinando conjunxit, qui jus in omnes decimas ecclesiasticas, in regno suo exstantes, ab eo impetravit, Hispanicamque Navarrae partem clam sibi speravit. Hoc foedus inter Pontificem Romanum et Catholicum Regem contra Christianissimum prin-

cr-

(1) » Es galt drey Kämpfe, der Vasallen wider den » Stuhl zu Rom, der Fremden wider Italien, der von Julius abgefallenen Cardinäle, die sich mit Ludwig verbündet, wider den Pabst.” Rankius p. 338. » Grade wie » im Bund mit Karl'n Savonarola Alexander'n entgegen» gestanden, bediente sich Ludwig dieser Cardinäle; es » war so weit, dasz die sogenannten geistlichen Waffen » mehr von den Fürsten wider den Pabst als von dem » Pabst wider die Fürsten gebraucht wurden.” Idem p. 346.

cipem rursus, solenni quidem, sed impia, vocis usurpatione, *sacrum* appellatum est. Pontifex in proximum annum Romae concilium convocavit; contumacibusque Cardinalibus certum praefinivit tempus, intra quod deberent optare, utrum cum ipso in gratiam redire, an omnes honores et reditus amittere mallent. Ferdinandus genero Henrico VIII, ut huic conventioni accederet, persuasit. Helvetii easdem partes amplexi sunt. Maximilianum inter et Venetos induciae fuerunt.

Rursus universa Italia belli incendio flagravit, et praeter alias pugnas ad Ravennae muros acerrime dimicatum est (1). Plenam ibi victoriam Galli reportaverunt: intrepidumque adeo Julium primus cladis nuntius terrore replevit. Idem vero mox certior factus, Gallos optimos belli duces et ipsum exercitûs robur amisisse, victoresque majora damna, quam victos passos esse (2): statim animum resumsit. Qui de imperio diu certaverant, nunc de perfidia certaverunt: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habentes. De pace cum Gallis ineundâ secutae quidem sunt deliberationes, sed frustra. Quamvis enim uterque ejus de-

(1) Vide prae aliis egregie hanc pugnam enarrantem Bank. p. 359—365.

(2) Narrat Mariana, *Historia general de España*, lib. XXX. Cap. IX. Galliae Regem, auditâ Hispanorum clade, exclamasse: „ Oxalá yo perdiera á Italia, y mi sobri„ no y mis buenos Capitanes fueran vivos; tales victorias „ dé Dios á mis enemigos: que por ellas se dixo; *El ven„ sido vencido y el vencedor perdido.*"

desiderium simularet, neuter eam revera voluit. Primum cunctatus est Ludovicus, Bononiam tradere nolens: qui tamen, ubi Henricum VIII exercitum parare accepit, Florentinorum operam, adversarios inter se conciliare volentium, non detrectavit. Julius II vero, Gallorum res in dies magis ad deteriora inclinare intelligens, suumque exercitum magnâ Helvetiorum manu confirmans, eo rem deduxit, ut Cardinales omnes illum, ne Ecclesiam proderet, obtestarentur, neque, antequam impia Francorum gens Italiâ ejecta esset, quiesceret. Haec autem non diu remansit. Nam, appropinquante Helvetiorum exercitu, qui in Veronensi agro Pontificis et Venetorum militibus sese junxerat, revocatisque a Maximiliano subditis, quorum multi Gallorum castra secuti erant, omnes fere in patriam properarunt. Liberata fuit horum praesentiâ et peregrinorum dimicatione pulcherrima regio: donec Franciscus I et Carolus V, nullo superiorum regum exemplo meliora edocti, eam rursus bellantium strepitu et clamore replerunt. Hac autem occasione Itali odium, quod tam diu cohibuerant, in barbaros eruperunt. Trucidati enim direptique sunt quotquot Gallorum in viâ capi aut intercipi potuerunt.

Vacuas nonnullas possessiones discessu hi suo in Italia reliquerant: alia regna magnam subierunt commutationem (1). Maximilianus Sfor-

(1) Cf. omnino Rankius l. l. p. 396.

Sfortia per Helvetios, sibimet ipsis prospicientes, avitum regnum recepit. Julius II, impiger tam ad pacis quam ad belli labores, urbes omnes, belli fortunâ distractas, statim recuperare, omnique operâ Mediceos in pristinam Florentiae potestatem restituere tentavit. Invisa enim ipsi erat, quae id temporis hujus civitatis gubernacula tenebat, factio, cum propter datum Gallis auxilium, a quorum arbitrio fere pependerat, tum propter concessam iisdem facultatem Pisas illegitimum concilium convocandi, et grata erat Medicea domus, cujus exsules semper favore et amicitiâ prosecutus erat. Magnâ igitur voluptate accepit, clarissimam urbem, ultimo mensis Augusti die, A° 1512, in veterum dominorum potestatem rediisse (1). Plerique nobiles et optimates, ex Mediceorum reditu majorem sibi in republicâ administrandâ auctoritatem sperantes, in eorum partes transierant (2); sed subitam hi fortunae conversionem unice Hispanorum armis debuerunt. Qui cum Florentinos a Gallorum amicitiâ abducere vellent, et Petrum Soderinum, propter perpetuum ejus in hanc gentem studium, male, et Mediceos, fidelem societatem ipsis promittentes, optime habuerunt (3). Julianus Medi-

cēus,

(1) Quae illo tempore Florentiae agitata et gesta sunt, accurate et eleganter enarrat Machiavellus in Epist. VIII.

(2) » Tutta la nobiltà, che desideravano mutare lo » Stato, per riavere la reputazione loro." *Mach.* l. l.

(3) Tale Hispanorum consilium fuisse, et ex Machiavelli narratione apparet, et breviter a Rankio his verbis exprimitur: » Die Florentiner sollten unter den Medici eben

» so

ceus, mansuetissimi animi vir, non ostentatione sed veritate popularem gratiam meruit, multaque, quae libertatis amantissimis civibus non grata esse non poterant, aut accepit, aut concessit. Nequaquam autem haec lenitas Hispanis et ceteris Mediceis placuit (1): qui, brevi post, per vim et factionem, effecerunt, ut res omnes in eum statum redigerentur, quo ante annum 1494 fuissent (2). Ita in ea urbe, quae ab A° 1494 libertate usa erat, reduces ex exsilio cives rursus perpetuam obtinuerunt dominationem (3).

CA-

» so sehr spanisch werden, als sie unter der popolaren » Verwaltung französisch gewesen." pag. 389.

(1) » Essendosi in quel tanto in Firenze fatto certo » nuovo ordine di governo, nel quale non parendo al Vice» re che vi fusse la sicurtà della casa de' Medici, nè della » lega, significò a questi Signori esser necessario ridurre » questo stato nel modo era vivente il magnifico Lorenzo. » Desideravano i cittadini nobili satisfare a questo, ma te» mevano non vi concorresse la moltitudine." Interea a Mediceorum factione populus ad arma vocatur, advocaturque concio, Florentino more, quem egregie descripsit Rankius p. 100, in qua lata lex est; » per la quale furono questi » Magnifici Medici reintegrati in tutti gli onori e gradi de » loro antenati: Mach. l. l. Cf. quoque Guicciard. l. XI » p. 590 sq.

(2) De perpetuo paucorum, prorsus a Mediceis pendentium, imperio, quod a° 1512 creatum fuit, et usque ad tertium horum exilium a° 1527 rerum summas tenuit multa habent Sismondius T. X. p. 354 et Rankius l. l. p. 387 sq.

(3) Cf. Leonis *Geschichte von Italien.* T. V. p. 259. qui recte animadvertit. » So war also die Republik Florenz, » die unter demokratischer Verfassungsform fast nur Un» glück gehabt und auf keiner Seite besondere Ehre er» worben hatte, zu einer der früheren ähnlichen Oligar-

» chie

CAPUT II.

Machiavelli legationes.

Adumbratâ sic paucis universâ Italiae his temporibus conditione, de Machiavelli jam nobis legationibus agendum est, quas per omnem illam aetatem pro patriâ obiit: ut perspicuum nobis fiat, magnas eum in gubernandâ civitate partes egisse, et gravissimis quibusque, quae tum in Italiâ peracta sunt, negotiis, interfuisse. Muneris ejus ratio propius quidem ad domesticas, quam ad exteras reipublicae res pertinere videbatur: plerumque tamen propter has aberat. Sed repetendum inde est, eum non perpetua sed subita tantum et temporaria patriae commoda apud exteros curavisse, et secundas nomine, non re egisse partes. Longe enim plurimae ad Senatum Florentinum epistolae eum auctorem habent, ejusque manu conscriptae sunt: quantâque et apud suos et apud peregrinos gratiâ et auctoritate floruerit, luculentissimis adhuc documentis declaratur. Saepius quoque

» chie zurück geführt; nur hatte diese statt reicher und » in den Rücksichten und Freuden heimathlichen Lebens » aufgewachsener Chefs verarmte, durch lange Abwesenheit » den Stadtinteressen entfremdete, in Unwillen und Hass » mannichfach erbitterte." Cf. Soderini Oratio apud Sism. T. X. p. 546 sqq.

que reipublicae causâ in agrum Florentinum excurrit. Ceterae legationes numero plus quam viginti fuerunt: quarum illustriores apud Ducem Valentinum, Galliae Regem, Maximilianum Imperatorem et Pontifices Romanos administravit.

Universe tenendum est, Gallorum expeditionem ab A° 1494 — 1512 Florentinorum rei publicae magnas difficultates et continua incommoda attulisse. Cum enim totam se ad illum populum applicuisset, prosperis Gallorum rebus, fortioris arbitrium et lubidinem sustinebat, adversis vero, undique summis a potentissimis adversariis periculis circumdabatur. Praeterea obsidio illo Pisano magis etiam et a Gallis pendere coepit, et perpetuam cum ceteris civitatibus offensionis et inimicitiarum materiam nutrivit (1). Medicei exsules nullam omittebant occasionem, quae ipsis reditum in pristinos honores praeberet: eorumque asseclae intus fovebant et agitabant omnia. Tandem, initio seculi decimi sexti, saepius a parvulorum illorum tyrannorum petulantiâ, qui in media Italiae parte pullulabant, omniumque rerum turbatione ad praedas et excursiones ex arcibus et urbibus suis in alienos agros faciundas abutebantur, omnia metuebat. Hos Caesar Borgia oppressit, ipse ante omnes perfidus et periculosus vicinus (2): cuius igitur et colenda amicitia et simul singula dicta et facta observanda erant. Missus ad eum est Machi-

(1) Cf. *Decenn.* I p. 515. (2) Cf. *Decenn.* passim.

chiavellus (A° 1502) ut utrique huic proposito satisfaceret. Venit ad eum, quo tempore inimicos suos, ipsum perdere conantes, praeventurus, summam ingenii solertiam proderet insidiisque et malitiâ abundaret. Intererat Florentinorum reipublicae, ab hominum illorum importunitate liberari, qui, prout lubido ferebat, in civitatis agrum incursarent, factiones alerent, et, primâ quaque occasione, Mediceos in pristinam dignitatem restituere studerent.

Itaque avide Machiavellus omnia explorat et arripit, e quibus ducis mentem et consilia efficiat: quod egregie ei cessit (1). Quamquam difficillima res erat: nam

(1) Cf. in primis Epist. XXIII *della Legazione al duca Valentino* Tom. V p. 294–298 quae Borgiae indolem egregie adumbrat. Epist. XIV, p. 253, haec habet: » Chi » esamina le qualità dell' una parte, e dell' altra, (significat Borgiam, et duces, mox ab eo oppressos), conosce » questo Signore uomo animoso, fortunato, e pieno di » speranza, favorito da un Papa, e da un Re, e da costoro ingiuriato, non *solum* in uno Stato, che voleva » acquistare, ma in uno che egli aveva acquistato: quegli » altri si veggono gelosi degli stati loro, e timidi della » grandezza di costui avanti che lo ingiuriassino: e ora » diventati molto più, avendogli fatta questa ingiuria: nè » si vede come costui abbia a perdonare l'offesa, e coloro a lasciare la paura, nè per conseguenza come egli » abbiano a cedere l'uno all' altro nell' impresa di Bologna, » e nel ducato d'Urbino." Pertinent huc, quae legimus in Epist. IX in fine: » Altro non ho che scrivere alle » S. S. v. v. se non che, si quelle mi domandassero quello » che io creda di questi moti, risponderei, *praestitâ veniâ*, » credere, che a questo signore, *vivente il Pontefice*, » e mantenendo *l'amicizia del Re*, non mancherà quella » for-

nam Borgiae animus erat celans sui (1), altoque silentio negotia in ejus aulâ perpendebantur et conficiebantur (2). Sed neque admirationis sensus, quo sese erga eum affectum esse non dissimulabat, neque ducis dexteritas (3), qua inimicissimorum adeo indolemque ejus minime ignorantium voluntatem promerebat, impediebant, quominus penitus viri animum per-

» fortuna, che gli è avanzata sino a qui, perchè quelli » che hanno dato ombra di volere essere suoi nemici, non » sono più a tempo di fargli gran male, e manco saranno » domani che oggi." Ut praedixit Machiavellus, ita res evenit. Cf. *del Principe* C. VII.

(1) Epist. XIV init. » Nè ho possuto trarre del parlare » loro altre particolarità, nè credo poterlo fare per essere » questo Signore segretissimo, e conferire con pochi." Ep. XXIII. Io prego le S. S. v. v. mi abbiano per iscusato, e pensino che le cose non s'indovinano, e intendano che si ha a fare qui con un principe, *che si governa da se;* e che chi non vuole scrivere ghiribizi, bisogna, che riscontri le cose; e ne riscontrarle va a tempo, ed io m'ingegno di spendirlo, e non lo gittare via. Epist. XLII. » Come io ho più volte scritto alle S. S. » v. v. questo Signore è segretissimo, nè credo quello » si abbia a fare lo sappia altro che lui: e questi suoi » primi Segretarj mi hanno più volte attestato che non » comunica mai cosa alcuna, se non quando e' la commette, » e commettela quando la necessità stringe, e in sul fatto, » e non altrimenti, donde io prego v. v. S. S. mi scusino, nè m' imputino a negligenza quando io non satis» faccia alle S, S. v. v. con gli avvisi, perchè il più delle » volte io non satisfo *etiam* a me medesimo."

(2) Epist. X: » In questa Corte le cose da tacere non » ci si parlano mai, e governansi con un segreto mirabile."

(3) Ep. II, p. 204. » Io non potrei con penna esprimere, con quanta dimostrazione di afezione egli parli, » e con quanta giustificazione delle cose passate."

perspiceret, et cives suos de omnibus certiores faceret, quae eos scire e republicâ existimaret. Infra videbimus, Machiavellum, per totam vitam, et variis suis scriptis, quanti Caesarem Borgiam fecerit, significasse: cujus rei causam altius inquiremus.

Pactiones cum Franciae Rege identidem ineundae, propter supra memoratam rationem, summam legatorum artem et prudentiam requirebant. Vidimus, Machiavellum, omnium harum rerum testem, a Florentinis missum esse, qui gravissimam ab iis culpam, ac si eorum negligentiâ rei frumentariae commeatusque inopiâ Gallorum exercitus laborasset, ita amoveret, ut tamen eam non in veros turpitudinis auctores, belli duces, conjiceret: quorum multi Pisanorum auro corrupti fuisse videntur. Ex epistolis, quas domum misit (1), perspicuum nobis fit illud poetae:

„ *Nunquam fidelis cum potente societas.*" (2)

Hu-

(1) Exstat hujus legationis narratio T. V. p. 57-188. Rediit Machiav. die 14 Jan. 1501. Innumeris locis significat, frustrà legatum laborare, nisi auro aulicos et regis consiliarios in sui favorem traheret. Cff. Ep. XI p. 94. Ep. XII p. 102. in fin. p. 104. 105. Ep. XIV p. 110 in med. Ep. XVII p. 129 in fin. Ep. XXVII p. 184. „ Con quest' armi si „ difendono i Pisani, vi offendono i Lucchesi, si ajutano „ i Veneziani, il Re Frederigo, e qualunque ha a trattare „ cosa alcuna, e chi non fa cosi, crede vincere il piato „ senza pagare il procuratore. p. 130." Cff. qq. *I Decennali* passim. Ita a Gallis pendebant, ut eorum auxilium semper magna argenti vi redimere deberent. p. 521.

„ Dopo 'l voltar di molti giorni e mesi,
„ Non senza grande spendio fuste ancora
„ In sua protezion da Francia presi."

(2) Epist. XII. p. 104. Reputanvi ser *Nichilo* (nihili

vos

Hujus enim continua benevolentia pecuniae vi redimenda erat.

Altera in Galliam legatione initio A[1] 1504 functus est. Post cladem, quam Franci ad Garilianum flumen acceperant, jure metuerunt Florentini, ne perpetuam suam in victam causam inclinationem gravissimis poenis et periculis luere deberent. Itaque ad Galliae regem properavit Machiavellus, eique significavit, quantum Tusciae et Longobardiae damnum a Venetis et Hispanis undique immineret; quae, sine valenti auxilio, ad arcendos hostes impares prorsus essent. Impetravit, ut induciis inter Gallos et Hispanos factis amicorum loco Florentini ab illis comprehenderentur (1).

Julius II foederis Cameracensis fidem adeo non praestitit, ut Venetorum causam A° 1510 palam amplecteretur, pristinumque suum adversus hosce odium in Gallos converteret. Florentini hanc mutatam sociorum voluntatem aegre et sollicite animadverterunt: in primis cum Franci de iis clandestina cum hoste consilia, aut saltem lentam ac paene frigidam amicitiae significationem suspicarentur. Miserunt igitur Machiavellum tertio ad Regem, qui et

vos faciunt) battezzando l'impossibilità vostra disunione, e la disonestà dell' esercito loro, cattivo governo vostro."

(1) Cf. Oper. T. VI. p. 169 - 256. Quanto odio jam tum Pontifex, Maximilianus et Ludovicus XII Venetos haberent, quod non nisi A° 1508, icto foedere Cameracensi, erupit, egregie declarant Epist. X et XI. Omnes fere Epistt. ad hanc legationem pertinentes a Nic. Valorio legato conscriptae sunt.

et ipsi civium innocentiam purgaret et simul pacem inter partes litigantes infringi anteverteret. Primum Reipublicae auctor est, ut his contentionis arbitram sese offerat: illud enim cum dignitati ejus et utilitati convenire tum Gallis gratum fore confidit. Sed mox eos a pacis spe ad desperationem avocat, Ludovico, quem illata injuria dies noctesque agitat (1), sacris et profanis armis adversarium impugnare decernente: inque his angustiis omni modo afflictae civitatis saluti et commodis consulere studet (2). Postulant Franci, ut Florentini in fidei et auxilii demonstrationem satis magnas militum copias in Longobardorum agrum educant: sed palam iis facit Machiavellus, patriam iisdem indigere, ad agrum a subitâ hostium irruptione tutandum. Argumentorum copiâ et evidentiâ tandem eorum pervicaciam vincit, magnoque metu et periculo cives liberat.

Quantopere inde ab A° 1494 a Gallorum Regibus

(1) » Questo Re nè dormendo nè vegliando sogna altro » che il torto gli pare ricevere da sua Santità, nè ha in » animo altro che la vendetta." Epist. XIV. in fin. p. 264. Oper. T. VII.

(2) Egregie hoc probant Epistt. XIII et XV. Cf quoque Epist. XII, qua Ludovici Imperatoris consilia contra Pontificem exponuntur, quibus haec addit: » Questo è il disegno » suo, quando la pace non segua, e quelli due Principi » gli regghino fra mano, che Iddio lasci seguire, quello che » sia il meglio: che in vero se vostre Signorie fussino » poste altrove, sarebbe da desiderarlo, acciocchè ancora » *a codesti nostri preti toccasse di questo mondo qualche* » *boccone amaro.*" De vi, quam Cardinalis Amboisani mors in politica Regis consilia habuerit cf. Epist. XVI.

bus pependerit Florentinorum res publica, illud quoque argumento est, quod illegitimum concilium Pisis recipere debuerint. Hoc enim vehementer Julii animum, jam ceteroquin iis malevolum, exasperavit, eoque magis ipsos offendit, quo citius intelligerent, paucos tantum Regis partes sequi. Itaque ab eo impetrare debuit Machiavellus, ut vel dissolveretur congregatio vel aliò transferretur, vel certe per duo tresve menses intermitteretur. Hoc tamen propositum quartâ legatione plane adsequi non potuit. (1).

Grave fuit totum hocce legationum munus: multo gravius etiam illud reddidit singularis Machiavelli in explorandâ peregrinarum regionum naturâ atque indole cura et sagacitas. Cujus rei praeclarum exemplum dedit in commentariis, quos in tertiâ legatione de Gallia et Gallis confecit: in quibus, quamvis brevissimis, nihil fere desideratur eorum, quae hodie ad accuratam reipublicae notitiam pertinere censentur (2). Operae pretium est, speciminis causâ, quoniam singula persequi non possumus, ipsum audire de causis disputantem, cur Franciae regnum et rex, eâ aetate, ad majores opes et potentiam, quam antea, pervenerint?

„Galliae regnum, ita fere disserit, quod continuis proximorum agnatorum successionibus perpetuatur, non poterat non locuples evadere. Cum enim ali-

(1) Cf. Oper. Vol. VII p. 293 - 318.
(2) Cff. quae de hoc more supra pag. 22 monuimus.

aliquoties evenerit, ut Rex mortuus sit, nec filiis relictis, neque iis, qui sibi in privam haereditatem succederent, omnes ejus reditus omneque patrimonium regno cesserunt. Hoc et olim saepius jam accidit: unde cum alia imperia Franciae adjuncta sunt, tum Andegavensis ducis terrae: et rursus, hoc Rege mortuo, obtinebit, qui, filiis carens, Franciae et Mediolani dominium Aureliani duci aliquando relinquet. Hodie igitur praecipuae quaeque in Gallia terrae non ad privatos nobiles, sed ad regnum, pertinent.

Altera eaque gravissima Gallorum potentiae causa in eo quaerenda videtur, quod cum antea eorum patria magnorum vasallorum insolentiâ adeo agitaretur, ut illius quies ab eorum arbitrio prorsus penderet, uti Aquitaniae et Borboniae duces multis regionibus sollicitandis saepe docuerunt, hodie contra hi omnes fidelissimos regis subditos sese praestent.

Neque vasallorum tantum insolentiae Francicum imperium olim perpetuo expositum erat, sed etiam proximus quisque vicinus Princeps facillime illud invadere poterat. Semper enim aut Britanniae aut Aquitaniae aut Burgundiae aut Flandriae dux aggredienti facilem aditum, regredienti tutum perfugium praebebant (1). Quod tum maxime compertum est, cum Angli et Franci de Galliae imperio bello certarent. Illi enim per Britanniae ducem Regi moles-

(1) Cf. omnino *del Principe* cap. IV.

lestias creabant: Burgundiae contra dux, vice sua, Borbonii ducis ope, Anglos lacessebat. Hodie vero Britannia, Aquitania, Borbonia majorque Burgundiae pars cum Francia coaluerunt: earumque regionum incolae adeo fideles Regis subditi sunt, ut non solum hujus hostibus non auxiliaturi sed strenue adeo restituri essent. Tot igitur nova imperia uti regem auxerunt, ita hostes ejus fregerunt.

Accedit, quod hodie locupletissimi et potentissimi Franciae nobiles regii sanguinis et stirpis sunt. Itaque, exstinctis iis, qui potiori jure gaudent, in regnum succedunt. Ex quo facile intelligimus, unumquemque eorum et Regi sese applicare, ad cujus dignitatem sperat fore ut aliquando aut ipse aut filii sui perveniant, et rebellionis ancipitem fortunam fugere. Quam periculosum enim hoc sit, praesens Rex expertus est. Qui cum captus esset in Britannico bello, cui se immiscuerat, ut illius regionis ducem adversus Franciae regem juvaret, mortuo hocce, gravissima quaestio exorta est, utrum hac ille defectione successionis jure privandus esset nec ne? Et forte exspectatione sua Ludovicus cecidisset, nisi ingentes ejus opes, et Angolismae domini, qui eum proximo jure sequebatur, infantia, alia omnia effecissent.

Tandem minime negligendum est, Franciae nobiles patrimonium non aequis partibus inter haeredes dividere, uti in Germania et in plerisque Italiae partibus obtinet, sed filiis natu maximis relinquere. Hi vere haeredes sunt: reliqui fratres, eorum

ope,

ope, totos sese belli ministeriis tradunt, et ad eum militiae gradum contendunt, qui ipsis agros sibi acquirendi opportunitatem praebeat: quâ spe sese nutriunt. Hinc fit, ut hodie armati Franciae (*genti d'arme Francesi*) omnium optimi milites sint. Cuncti enim nobiles sunt nobiliumque filii, qui ad paternam dignitatem contendunt."

Reliqua pariter auctoris peritiam et acumen produnt: e quibus illa tantum hoc loco afferemus, quae de Gallorum indole memorat. Locus enim hic nos docet, Machiavellum de ista gente haud aliter judicasse, atque omni aevo prudentissimi viri fecerunt. „Praesens lucrum et damnum, inquit, ita aestimant, ut praeterita beneficia et injurias cito obliviscantur, nec futurum bonum aut malum multum curent. Liberales sunt: sed verbis tantum. Adversa fortuna eos humillimos, prospera importunos reddit. Vani sunt et leves. Fidem servant, ut a victoribus exspectare licet. In multis rebus honoris causam parvi faciunt: quâ in causâ ab Italicâ nobilitate plurimum differunt. Hinc, cum a Sienensi civitate oppidum Montem Pulcianum vindicassent, nihilque impetrassent, tranquilli manserunt. Romanorum et linguam et gloriam in odio habent (1)."

Semel tantum (A°. 1507) apud Maximilianum Imperatorem legationem administravit: quo tempore hic

(1) Cf. *Ritratti delle cose della Francia.* Oper. Vol. I p. 262—264.

hic in Italiam cogitabat, ut Romae coronaretur. Hic tamen non de gravissimis civitatis commodis agebatur: sed de concedendâ vel negandâ certâ pecuniae summâ, prouti Imperatoris iter magis minusve probabile foret: ut angustos potius argentarios et negotiatores, quam illustrissimae civitatis legatum et augustissimum Principem, inter se paeisci putares. Verum insignis illa Venetorum prudentia effecit, ut Imperator, pristinâ consuetudine, a proposito desisteret. Silentio igitur haec praetermittere possumus: eo magis, quod omnes fere epistolae, a *Machiavello quidem* exaratae, sed a Vettorio legato subscriptae sunt. Memorandae tamen sunt animadversiones ejus de Germaniâ, quas in hoc itinere collegit, quaeque eadem brevitate et elegantia, eodemque acumine sese nobis commendant, atque superiores illae de imperii Francici conditione.

Omni modo antevertere studuerant Italiae civitates, ne Maximilianus in hanc regionem descenderet: quod vehementer metuerunt. Quo magis ipsis mirabile accidit, eum saepius expeditionem illam tentare, nunquam vero perficere: cumque Germanorum opes adeo formidandae haberentur, ut ne dubium quidem videretur, quin, si strenue a populis suis adjuvaretur Imperator, omnia posset, nusquam tamen appropinquare milites illos, undeviginti millium numero, quos imperii Ordines ipsi promiserant; et vero videri Germaniam parum curare infamiae suspicionem. Itaque hanc rem illustrat Machiavellus, qui in itinere diligen-

ter

ter omnia perscrutatus erat (1), interiorem Germanici imperii conditionem exponens, et quam infirmo vinculo liberae civitates, Principes et Imperator invicem juncti essent: unde nobis et perpetua Imperatoris fluctuatio et politica Venetorum prudentia manifesto apparet.

„Negari non potest, ita hanc disquisitionem ingreditur, Germanos opibus abundare, florere incolarum numero et bellicosissimos esse; sed, ut propositam difficultatem expediamus, videndum est, num verosimile sit, liberas civitates unquam, vel conjunctas cum Germaniae principibus, vel solas, Imperatorem, Italiae expeditionem animo molientem, strenue adjuturas esse?"

Et Machiavello quidem de conjunctis eorum viribus parum aut nihil adeo Italis metuendum videtur. „Primum enim, ait, nec Principes nec civitates Imperatorum potentiam augeri volunt. Optime enim sciunt, eum, si unquam magna regna patrimonalia sibi acquireret, nihil antiquius habiturum, quam principum vires frangere, eosque sui prorsus arbitrii reddere, ut Galliae Rex, Ludovicus XI, non ita pridem fecit, qui alios vincendo, alios occidendo, cunctos subditos sub jus ditionemque suam ita

(1) » Io sendo stato in sul luogo, e avendone udito » ragionare molte volte a molti, nè avendo avuto altra » faccenda che questa, referirò tutte le cose, di che io ho » fatto capitale, le quali se non distintamente, tutte in- » sieme alla mescolata risponderanno ai quesiti di sopra, et caet." *Rapporto della Magna* fatto 17 giugno 1508, Oper. T. X p. 306.

ita redegit, ut hodie quietissime ad lubidinem suam vivant: et vero eandem sortem liberas civitates mansuram. Non enim rogantem et petentem, uti adhuc moris fuit, sed imperantem pecunia et militibus adjuvare deberent. Deinde, principes et civitates inter sese, uti in vulgus notum est, inimicissime vivunt. Nam urbes et ipsae sese efferunt, et ideo egregium Imperatoris favorem experiuntur, ut conjunctâ operâ principum opes minuant: hoc enim solus perficere nequit. Quin et liberae civitates et Helvetii, quorum auxilio identidem utitur Imperator, mutuâ invidiâ flagrant. Mirum hoc omnino videri possit, quoniam idem propositum perpetuo ante oculos habent, libertatis tutelam et principum metum; sed animadvertendum est, Helvetios non solum principes, verum etiam nobiles odio habere: in eorum enim regionibus nulla omnino obtinet civium inaequalitas, nisi quod nonnulli magistratu funguntur. Haec autem reipublicae ordinatio liberarum civitatium nobilitati haud placet: cujus igitur industria omnis in perpetuo discidio inter Helvetios et Germaniae urbes alendo versatur. Accedit hostilis eorum, qui in hisce sese armis dederunt, quique multi sunt, erga Helvetios animus. Hi, quod aegre illi ferunt, majorem militiae famam consecuti sunt: ita ut nec multi nec pauci numero ex utrâque gente conveniant, quin congrediantur.

Quodsi igitur universis his discordiarum causis simultates addamus, quas principes cum principi-

bus

bus et civitates inter sese exercent, sponte efficimus; raro ac numquam adeo in tali imperio eam concordiam exsistere posse, qua Imperator ad sua consilia perficienda indigeat. Sunt, quibus ideo Maximiliani in Italiam expeditio facilis et formidolosa videatur, quod nemo unus in Germania princeps hodie ejus voluntati resistere queat, uti antea saepius obtinuit: sed reputandum nobis est, aliud esse, bello aut tumultu movendo, palam Imperatori reniti, aliud, auxilium ei negare. Hoc facile ii audent, qui vi eum oppugnare non audent. Quin illi, qui vel Imperatorem detrectare dubitant, promissa non servare non dubitant; quibusque et hoc nimis periculosum videtur, ii tamen tam lente illa exsequi solent, ut missa tandem aliquando auxilia nihil amplius valeant.

Haec omnia Imperatorem offendunt et perturbant. Quod tum intellectum est, cum, invitis Francis et Venetis, in Italiam ire cogitaret Maximilianus. Imperii Ordines ipsi undeviginti millium militum exercitum promiserant: cujus tamen numerus nunquam quinque millium fuit. Vix enim una civitas milites miserat, quin alia suos, elapso jam constituto tempore, domum revocaret. Nonnullae quoque pro militibus pecuniam dederunt; quam lubenter quidem Imperator, inopia pressus, accepit, quae vero exercitus constitutionem penitus impedivit.

Omnino, ut quaenam propriae Germanici imperii vires sint, perspiciamus, sciendum est, multo

has-

hasce magis in liberis civitatibus, quam in principibus exstare. Hi aut patrimonialia regna tenent, aut Ecclesiae principes sunt. Quorum illi imbecilles habentur: quod cum legibus istis tribuendum videtur, quae haereditates aequis partibus successoribus adsignant, tum Imperatorum prudentiae, urbibus faventium, ut, earum ope, regni primores opprimant. Itaque et inutiles amici et hostes sunt parum formidandi. Ecclesiae vero principum opes si non haereditatum partitiones minuerunt, ast urbium ambitio coneussit. Itaque nulla est Archi-Episcoporum, Electorum, aliorumque in opulentiores ipsorum civitates auctoritas: quo fit, ut neque illi nec hae, invicem divisae, Imperatorum inceptis favere, etiamsi velint, possint.

Liberae vero et imperatoriae civitates Germaniae nervi sunt: hae opibus valent, et rectâ reipublicae disciplinâ vigent. Veruntamen eaedem multis de causis, uti jam monuimus, in auxilio Imperatori ferendo tardae ac lentae sunt. Non enim amplificare imperium, sed suam libertatem tueri ante omnia conantur: quodque non sibimet ipsis expetunt, id utrum alius habeat nec ne, non curant. Deinde cum toti numero, et sui singulae juris sint, auxilia earum serius adventare solent quam, ut eam utilitatem praestent, quae caeteroquin ab iis jure exspectetur.

Haec autem omnia egregie Veneti perspexerunt, qui cum Germanicarum urbium mercatoribus amplissima negotia gerere solent. Itaque sive consilio

et

et prudentiâ, sive armis cum Imperatore certandum esset, ceteris Italiae gentibus multo melius et praeclarius commodis ipsi suis servierunt: quod sane facere haud potuissent, si aut ejus potentiam metuissent, aut exiguam subditorum ejus inter sese concordiam ignorassent (1)."

Bis Romae legati munere functus est (2). Primae legationis, tempore mortis Pii III', A° 1503, administratae, ideo mentio faciunda est, quod in hac Christianae religionis sede primariâ, seu, ut verius dicamus, omnium malarum artium seminario, testis fuit illarum machinationum, quibus diversae partes, ad suum singulae propositum obtinendum, usae sunt. Vicit tandem Juliani Roveriani calliditas: qui donis pollicitationibusque omnes, Hispanos adeo Cardinales, maxime adversos sibi, et Caesari Borgiae addictos, allexit: astuque et blandimentis eos cepit, qui ipsi clam in vehementi odio erant. Indoles ejus uti in ceteris historiae monumentis apparet, sic accurate eam in epistolis expressit Machiavellus. Repraesentant hae

(1) Cff. *Ritratti delle cose dell' Alamagna*, Oper. Vol. I pag. 277 - 286; et, quod eadem iisdem fere verbis continet, *Rapporto di cose della Magna* Vol. X pag. 296 - 308.

(2) Cff. Oper. T. VI pag. 1 - 186 et pag. 324 - 424, quibus epistolae continentur, ad utramque legationem pertinentes. Posterior locum habuit A° 1506, cum ageretur de concedendo Pontifici Marco Antonio Colonna, celeberrimo patrium duce, cujus industriâ ad Bononiam expugnandam Julius II uti voluit.

hae nobis Julium II desiderio incensum eas Romaniae urbes imperio suo subjiciendi, quae partim Borgiae fideles manserant, partim sese Venetis tradiderant: hujus civitatis prudentiam, quae, dum maximum gaudium de sacra dignitate in Julianum collocatâ prae se ferret, quaecunque posset oppida in eâdem terrâ armis sibi vindicaret: simulatamque Pontificis moderationem, quâ adversus eos usus est, in quos, Gallorum armis destitutus, dominari haud poterat. Deploramus miseram Florentinae civitatis conditionem, aeque Caesaris Borgiae ac Venetorum vicinitatem metuentis, quem igitur adversus hosce palam adjuvare non audebat: et abominamur Pontificem, sensim sensimque abjectâ integritatis personâ, perfidiaeque sumtâ, quam ipsa natura ei imposuisse videbatur, et Caesarem Borgiam prodentem, et, opportuno tempore, odium in Venetos patefacientem. Machiavellus adeo nihil neglexit eorum, quae ipsi notatu digna apparerent, ut jure affirmare posset, ea historiam contextam illarum rerum continere, quae in hac aulâ agitabantur (1).

Breviter ita gravissimas quasque Machiavelli legationes memoravimus: non, ut singula recenseremus, quae nobis, vel ad accuratam illorum temporum

(1) Cum hac Machiavelli relatione conferri omnino meretur Voigtii Vir. cl. periculum, cui titulus: *Stimmen aus Rom über den päbstlichen Hof im funfzehnten Jahrhundert.* Invenitur in Fred. Raumeri Calendario historico, T. IV. Lips. 1833 pag. 47 - 184.

rum cognitionem, vel ad Machiavellianorum operum interpretationem, notatu digna viderentur: sed ut universe lectoribus significaremus, eas tum fontem esse uberrimum, unde ad utrumque hocce propositum utilissimarum rerum scientia derivetur, tum cunctorum fere Machiavelli placitorum principia continere. Etenim, quod hic gravissimis quibusque negotiis, ab A° 1494 — 1512 in Italiâ gestis, interfuerit; omnes tyrannorum illorum, qui in Italiâ dominati sunt, Pontificum, rerumque publicarum rationes perspexerit; exteros fere Principes, qui illius regionis arbitros sese praestiterunt, cognoverit; peregrinarum gentium, qui Italiam invaserunt, si Hispanos exceperis, regionem, mores, instituta, disciplinam exploraverit; miseros barbarae dominationis effectus prope viderit, ejusque causas, in deplorabili morum, militiae (1), religionis, omnium denique institutorum conditione sitas, ipse experiundo compererit: haec, inquam, omnia non solum ipsum, postea in otio de-

(1) Cff., ut unum e multis exemplum afferamus, quae de mercenariis ducibus (*Condottieri* vocabantur) habet Epist. II primae legationis ad Romani Pontificis aulam; Oper. Vol. VI p. 14. ,, Costoro in queste terre di Roma, per le ,, grandi inimicizie che hanno, sono piuttosto latroncoli, ,, che soldati; e essendo obbligati alle proprie passioni ,, loro, non possono servire bene un terzo. E queste ,, loro paci che fanno, durano quanto pena a venire occa- ,, sione l'uno all' altro offendersi. E chi è qui ne vede ,, ogni giorno l'esperienza; e chi gli conosce, pensa di ,, temporeggiarli, tanto che possa dare loro i termini."

degentem et meliora patriae tempora praeparare cupientem, ad scribendum sponte impulerunt, verum etiam hodie mirifice politica ejus placita explicant, nosque in ejus cogitandi rationem penitus insinuant. Neque facile aliquid vera Machiavelli, scriptis suis principes et populos perpetuo a coeco praesentis temporis studio ad sedulam futuri prospicientiam avocantis, merita melius illustrabit, quam diligens illarum legationum studium. Quae, cum in eam aetatem inciderent, quâ cunctae Italiae gentes foederibus sese contra imminentem identidem peregrinorum dominationem tueri conarentur, quanta adhuc esset civilis artis inscitia, haud obscure testantur. Itaque egregie confirmant, quae de totâ illa aetate acute monet Heerenius Vir. Clar., cujus verba latine exprimere conabor. „Civilis, inquit, „ illorum temporum prudentia, in summâ hominum „ industriâ, artis infantiam plane referebat. Ferdi„ nandi calliditas et fraudulentia, inanis Max„ imiliani alacritas, coeca in Ludovico imperii „ cupido effecerunt, ut non constanti quodam „ consilio singula regerentur, sed ita simulationis „ artificiorumque laqueis irretirentur omnia, ut „ nemo se facile ex iis expediret. Non de perpetuis „ populorum, sed de praesentibus tantum et subitis „ principum commodis, agebatur: nullusque exstitit „ vir vere magnus, qui in aequalium deliberationibus „ et rebus gestis ingenii sui excellentiam imprimeret. „ Itaque nulla pactorum auctoritas et fides, sed aeter„ na mutatio. Quod tamen quo modo ibi mirum esse

„ potuit, ubi alius se alium decipere vellė vix ac ne vix „ quidem celaret (1)?" In perfidam autem istam agendi rationem, quod omnium minime negligendum est, legationes illae nos plane inducunt. Et, quamvis ipse Machiavellus hominibus sese accommodaverit, tamen eaedem satis superque demonstrant, perversa ista consilia, quae primus scriptis suis commendasse dicitur, non a se inventa fuisse, sed ipsius aetate regnasse plane inter eos, qui civitatibus aut exercitibus praeessent. Haec enim animi pravitas non natione quadam continebatur: nam in Italis, Hispanis, Gallis, Helvetiis, Germanis, pariter apparebat: non magis Principibus, ut Carolo VIII, Ludovico XII, Maximiliano, Sfortiae, Ferdinando Catholico, propria erat, quam parvulis istis partium ducibus et tyrannis, quos major Borgiae calliditas iisdem artibus exstinxit, quibus illi uti solebant, et ipse oppressus est: non libertatis dignitate aut religionis vinculo coercebatur, cum et res publicae nullam non fraudem admitterent, et Pontifices, Alexander VI Juliusque II, divina atque humana omnia promiscue haberent: non denique equitis famae atque virtuti officere credebatur; nam, ut permultos alios taceam, ne Gonsalvus quidem Cordubensis ab aequalium vitio immunis erat. Unusquisque in medio animorum aestu et omnium rerum perturbatione suo unice commodo intentus erat, alieni contemtor. Sed haec hactenus.

Sae-

(1) Cf. Heerenii *Handbuch der Geschichte des Europäischen Staaten-systems.* Georg. Aug. 1830. Vol. I p. 55.

Saepius Machiavellus reipublicae causâ in Florentinum agrum excurrit: quaeque hac de re exstant epistolae, praeter civilem eius prudentiam, singularem artis militaris peritiam ostendunt. Hanc facultatem postea sane, edendis celeberrimis illis de belli disciplinâ commentariis, abunde probavit: quorum tanta adhuc est auctoritas, ut ab idoneis arbitris instauratae hujus apud recentiores gentes scientiae auctori laus tributa sit: sed animadvertendum hic est, Machiavellum, ante quam in otio ad scribendum se daret, in legationibus, rei militaris apud diversas gentes conditionem diligenter attendisse, et vero eximio suo ingenio hac quoque in parte patriae valde profuisse (1). Quod praesertim in Pisano obsidio ostendit. Haec enim urbs, ab eo inde tempore, quo sese in libertatem restituerat, Florentinorum arma summâ animi elatione et incredibili famis patientiâ sustinuit: donec hi tandem, A° 1509, rem obtinuerunt (2). Non raro in castris versabatur Machiavellus, ut belli vel pacis negotia procuraret: et, quod caput rei est, A° 1506, auctor fuit rei publicae Senatui, ut aliam ac novam de conscribendis militibus ordinationem ferret: ac, missis mercenariis et extraneis copiis, civium potissimum opem et vires adhiberet.

Fac-

(1) Cff. omnino *Oeuvres de Machiavel, traduites par J. V. Periès* T. XII pag. 27 - 97: ubi docta intelligentissimorum virorum de egregiâ in Machiavello scientiâ militari judicia inveniuntur.

(2) Cf. Sismondius l. l. Cap. CIV. T. X p. 135 sq.

Factum est in hanc sententiam decretum, quod, eadem principia continens, quae postea plurimis Machiavelli scriptis uberius exposita sunt, valde profuit civitati (1).

CAPUT III.

Machiavelli vita literata.

Erat hic insanabilis omnium fere Italicarum civitatium, in primis autem rei publicae Florentinae, morbus, ut partium studiis perpetuo agitarentur, et prae paucorum commodis patriae salutem contemnerent. Itaque continua ibi obtinebat regnantium factionum mutatio: reique publicae ordinatio non ad libertatis conservationem et communem utilitatem, sed ad lubidinem eorum, qui superiores evaderent, fiebat. Explicanda haec partim ex mutuo et haereditario familiarum odio videntur, quarum sibi quaeque amicos et asseclas parare solebat, qui

(1) Cff. Opere T. X. *Due Provisioni per istituire Milizie nazionali nella Repubblica Fiorentina* p. 314 – 336. Alterum decretum, ad equites pertinens, demum A° 1511 est. De utilitate, quam reip. attulit, cf. Sismondius T. X, p. 128. Post rerum commutationem, quae A° 1527 facta est, eundem rerum ordinem rursus in civitatem inductum esse, auctor est Idem T. XII p. 45. „Cette milice, „ formée sous le gonfalonier Pierre Sodérini, d'après les „ conseils de Machiavel, avoit été licenciée et désarmée „ par les Medicis; mais elle fut rassemblée de nouveau „ dès l'an 1527."

qui ipsam ab adversariis tuerentur (1); et factum ita est, ut civiles dissensiones, identidem, non legibus, sed multorum de victa parte civium nece aut exsilio, terminarentur. Neque vero hac civitatis labe gens Medicea caruit. Cosmus enim, A° 1434, ab exsilio redux, plurimos contrariae sibi factionis vel in exsilium misit, vel capite punivit, vel honoribus privavit, omnique modo vexavit. Petri filii amicis, A° 1466, post factam adversus illum conjurationem, et, A° 1468, post bellum cum exsulibus Florentinis gestum, non satis erat vicisse, nisi praeterea omnis generis injuriis inimicos opprimerent. Laurentius, ut alia omittam, in Pactios hostili odio saeviit.

Quamvis autem, A° 1512, Mediceorum dominationem non ea secuta sit civium fortunarumque rui-

(1) Optime diversa significatio vocis *stato* apud Florentinos rei publicae hujus historiam illustrat, ut acute animadvertit Rankius l. l. p. 23. » Staat nannten sie Anfangs » die einer Familie am nächsten zugethanen Freunde; und » wir finden, dass Foligno dei Medici klagt, ihr Staat » habe abgenommen; er zähle statt 100 nur 50 Männer und » diese slecht mit Kindern versorgt. Die Vornehmsten des » Staats, welche mit den Abgeordneten der Stadt zu Lo- » renzo kamen, wie er sagt, um ihm die allgemeine Sorge » zu übertragen, waren die Freunde, der alte Staat, » ohne den Lorenzo für schwer hält in Florenz zu leben » (*È difficile vivere in Firenze senza lo stato*). Indem sich » nun an diese Nächsten die Parthey schloss, und die » Parthey über die Stadt Herr ward, und die Stadt über » das Land, ward der Name des ursprünglichen Verhält- » nisses auf das Ganze übergetragen. Nirgends war wirk- » liche Freyheit. ''

ruina, quae Cosmi tempore facta fuit, tamen pauci illi, penes quos rerum summa esset, magnas multis molestias exhibuerunt (1). Et nemo quidem invidiam eorum magis, quam Machiavellus, expertus est. Hunc enim ab officio, quo per tot annos functus erat, amoverunt; per proximum annum, in agrum Florentinum relegaverunt; et jure civitatis palatium intrandi privarunt (2).

Mox patefacta esse videtur conjuratio nonnullorum, qui novos Florentiae dominos interficere in animo haberent. Imprudentiâ Boscolii, qui una cum Capponio illius caput credebatur, viginti Florentinorum juvenum indicem sinu emittentis, factum est, ut correpti sint haud pauci, qui consilii hujus populares esse, vel sociorum inceptis favere, censerentur. Inter eos Machiavellus fuit. Itaque tormentis est deditus, sed una cum aliis liberatus benevolentiâ Joannis Medicei, qui, ad Pontificis dignitatem elatus, clementiae laudem affectare properavit.

Boscolius et Capponius, capitis damnati, nihil confessi sunt: et quid de totâ hac conjuratione statuendum sit, nondum constat (3). Num re vera socii fuerint, penitus ignoratur: nu-

(1) » Oft trat der Häscher unter zwey, drey Bürger: » wasz ihr Gespräch sey." Rank. p. 590.

(2) Decreta supremi rei publicae consilii in Machiavellum 8, 10 et 17 diei mensis Nov. 1512 exstant in *Oeuvres complètes de Machiavel* Vol. XII p. 8 - 10.

(3) » Arrestati il Boscoli e il Capponi non confessarono, » per

nudus enim nominum index unicum indicium fuit. Mihi igitur ad summum probabile videtur, ideo Machiavelli nomen a conspirationis principibus, si re vera fuerunt, albo insertum fuisse, quod illum, propter illatam injuriam, incepta sua probaturum esse confiderent. Forte quoque nec linguae temperavit, ut ipse fassus est, et superioris muneris auctoritate illos offendit, qui instauratam Mediceorum tyrannidem omni modo vel a levissimis periculi suspicionibus tueri studerent. Sed Machiavellum conjurationis participem fuisse, in tam levi atque infirmo hujus criminis testimonio, negare non dubitamus. Ipse enim, in epistolis ad familiares, et innocentiam (1) et totius urbis de sua liberatione laetitiam profitetur: simul candide significans, totam rem tum imprudentiae suae, tum injustae regnantis factionis sus-

» per testimonianza di Nardi, se non d'aver fatti de' discorsi da' quali appariva il desiderio che avevano dell' antica libertà, ma la lista *supponeva* qualche cosa di più; *pare* perciò, che fosse il principio d'una cospirazione non molto avanzata; se poi si avesse per iscopo la morte di Giuliano, e di Lorenzo, come si asserì universalmente, non è ben dimostrato. *Su quel supposto però* furono decapitati il Boscoli e il Capponi, e altri confinati, o incarcerati, *per ispaventare, e comprimere con quest' atto di severità i malcontenti.*" Ita vere mihi rem enarrare videtur Pignottius, *dell' Istoria della Toscana* lib. V. Cap. V. Vol. V. p. 9. Cf. Sismond. Vol. VI, p. 7 et 8.

(1) Ad Vernacciam Epist. XIX scribit Machiavellus: „È miracolo, che io sia vivo, perchè mi è suto tolto l'ufizio, e sono stato per perdere la vita, la quale Iddio e l'innocenza mia mi ha salvata."

suspicioni tribuendam esse (1). Idem, in Livianis quaestionibus de conjurationibus diserte disputans, servitutis jugum potius ferendum, quam illas ineundas, esse docuit (2). Et, si verum est, quod de Boscolio affirmant (3), eum libertatis studio consilia sua perficere voluisse, animadvertendum est, neminem Machiavello melius perspexisse, civitatem Florentinam, male moratam, omnibus fundamentis carere, quibus illa inniti posset. Accedit, quod rem, me judice, conficit; in rei publicae gubernatione illâ, quae a Mediceorum adversariis facta erat, multa ipsi displicuerant (4); amicus fuerat eorum juvenum, qui se in hortis Oricellariis con-

(1) Cf. Epist. IX ad Vettorium, Oper. Vol. VIII. Edit. 1813 (hac enim in epistolis citandis usi sumus) p. 29. ,, Come da Paolo Vettori avrete inteso, io sono uscito ,, di prigione *con letizia universale di questa città*, ,, nonostante che per l'opera di Paolo e' vostra io ,, sperassi il medesimo, di che vi ringrazio. Nè vi replicherò la lunga istoria di questa mia disgrazia: ma vi ,, dirò solo che la sorte ha fatto ogni cosa per farmi questa ingiuria, pure per grazia di Dio ella è passata. *Spero* ,, *non c'incorrere più, sì perchè sarò più cauto, sì perchè* ,, *i tempi saranno più liberali, e non tanto sospettosi.*"

(2) Cff. Discorsi l. III c. VI. ,, I privati imparino, inquit, ,, ad esser contenti a vivere sotto quello Imperio, ,, che della sorte è stato loro preposto. E veramente quella ,, sentenza di Cornelio Tacito è aurea, che dice, che gli ,, uomini hanno ad onorare le cose passate, e ubbidire ,, alle presenti; e debbono desiderare i buoni Principi, e, ,, comunque si siano fatti, tolerargli. E veramente chi fa ,, altrimenti, il più delle volte rovina se e la sua patria."

(3) Pignottius l. l. p. 9 *in nota*.

(4) Cff. Machiav. *Estratto di lettere ai dieci di Balia*, et

congregare solebant, et primi fuerunt, qui Mediceos restituere conarentur: de his denique ipsis et statim post eorum reditum honorificentissime scripsit, et post vexationem, sibi factam, nihil a suo utiliter iis serviendi studio remisit. Exstat enim ejus ad matronam quandam epistola (1), verosimiliter mense Sept. A[i] 1511 scripta, in quâ non tantum Mediceos *patronos* suos vocat, sed etiam de eorum reditu Florentiam ita loquitur, ut, eum temporibus cedere sapientis esse censuisse, manifesto appareat (2). Et, postquam e carcere liberatus fuit, Vettorio, ipsum, ut rebus sese submitteret, hortanti, faciles aures praebuit (3). In omni hoc negotio ita egit Machiavellus, ut ipse in Livianis quaestionibus alios docuit; et ab initio inde hoc unice spectavit, ut et novorum dominorum grati-

et *i Decennali* passim. Vidd. quoque Sismondius l. l. Vol. IX p. 278, 281. et Rankius pag. 112.

(1) Videtur haec matrona fuisse Alfonsina, Laurentii Medicei, qui postea Urbinensis dux evasit, mater. Cff. quae Machiavelli Editores ad Epist. VIII adnotaverunt.

(2) ,, Questa città resta quietissima, e spera non vivere ,, menò onorata, con l'ajuto loro, che si vivesse nè tempi passati, quando la felicissima memoria del magnifico Lorenzo loro padre governa.''

(3) Epist. X. ,, Ora, Compare mio, quello che vi ho à dire per questa è che voi facciate buon cuore a questa ,, persecuzione, come avete fatto all' altre che vi sono ,, state fatte; e speriate che poichè le cose sono poste, ,, *e che la fortuna di costoro supera ogni fantasia e* ,, *discorso*, di non avere a stare sempre in terra, e che ,, poi siate libero da tutti i confini.''

tiam sibi conciliaret, et aliquam ab iis dignitatem obtineret.

Reputandum nobis est, virum, qui in clarissimis negotiis gerundis aetatis florem consumserat, nec, quantum usu ipse et arte valeret, ignorabat, aegerrime ad iners et ignobile otium descendisse, et, nisi de re publica cogitaret, vitam ipsi mortem fuisse: deinde eum paupertate usum esse, honestissima quidem, sed paupertate tamen. Nam honoribus contentus, rei familiaris contemserat fructum: tamque parum legatorum dignitati consulere solebat Florentina civitas, ut ipse satis magnam pecuniae vim in necessarios sumtus impenderit, et innumeris locis de hac sorde et avaritia merito doluerit. Sed in exsilio, a paupere egenus factus, se suosque amplius alere non potuit (1). Neque omittendum est, per Medicei juvenis in sacram sedem adscensum penitus mutatam es-

(1) „ Starommi dunque così, ita in Epist. XXXIII ad „ Vettorium dolet, tra i miei cenci, senza trovare uomo „ che della mia servitù si ricordi, o che creda che io possa esser buono a nulla. Ma egli è impossibile che io „ possa star molto così, perchè io mi logoro, e veggo, „ quando Iddio non mi si mostri più favorevole, che sarò „ un dì sforzato ad uscirmi di casa, e pormi per repetitore o cancelliere di un Conestabile, quando io non „ possa altro; o ficcarmi in qualche terra deserta, ad insegnere a leggere ai fanciulli, e lasciare qua la mia brigata, che faccia conta che io sia morto, la quale farà „ molto meglio senza me, perchè io le sono di spesa, „ sendo avvezzo a spendere, e non potendo fare senza „ spendere. Io non vi scrivo questo perchè io voglia che „ voi pigliate per me disagio o briga, ma solo per isfo- „ gar-

esse Italicarum gentium conditionem: confirmatam ac paene stabilitam domûs Mediceae in rempublicam Florentinam vim et auctoritatem: et universam Italiam veluti campum evasisse, in quo Pontificis ambitio laete excurreret, et politici viri intelligentia late vagaretur (1). Igitur conversam patriae fortunam Machiavellus tulisset facile, modo ipse rursus sese civilibus undis committere potuisset. Hoc dies noctesque in votis habuit. Haec cura utramque apud eum paginam facit (2). Sae-

„ garmene, e per non vi scriver più di questa materia, „ come odiosa quanto ella può."

(1) Epistola XIV ad Vettorium haec inter alia habet: „ La Magnificenza di Giuliano verrà costà, e troverete la „ volta naturalmente a farmi piacere, e il Cardinal di „ Volterra (Soderini) quello medesimo: dimodochè io non „ posso credere, che essendo maneggiato il caso mio con „ qualche destrezza, non mi riesca essere adoperato a „ qualche cosa, *se non per conto di Firenze, almeno per* „ *conto di Roma e del Pontificato; nel qual caso io do*„ *vrei esser meno sospetto.*"

(2) In primâ, quam, modo e carcere liberatus, ad Vettorium, rei publicae, apud Pontificem legatum, scripsit, epistolâ jam haec occurrunt:

„ Voi sapete in che grado si trova messer Totto nostro „ (quem fratrem Nicolai Machiavelli fuisse suspicor, argu„ mento testamenti ejus, in quo occurrit nomen *Totti*, „ fratris germani testatoris: cff. *Oeuvres de Machiavel*, „ Vol. XII p. 17). Io lo raccommando a Voi e a Paolo „ (Vettorii fratrem significat) generalmente. Desidera solo „ lui ed io questo particolare, *di esser posto intra i fa*„ *miliari del Papa, ed essere scritto nel suo ruotolo, e* „ *avere la patente, di che vi preghiamo.*"

„ Tenetemi se è possibile nella memoria di Nostro Signo„ re, che se possibil fosse mi cominciasse a adoperare o „ lui

Saepius jam epistolarum ejus ad familiares mentionem fecimus, et earum argumento Machiavelli vitam illustravimus. Harum gravissimae demum A° 1813 editae sunt, ita ut non nisi ab eo inde tempore de auctoris ingenio et moribus, deque operum ejus indole ac consilio, vere judicare potuerimus. Nam in iis, veluti in speculo, vitia illius et virtutes apparent: adducunt nos in intimorum ejus familiaritatem: ex iis cultissimorum illius aetatis Italorum mores, studia, vivendi et cogitandi rationem, cognoscimus: denique nobis aperiunt, qua occasione, quo consilio, pleraque scripta scripserit. In amicorum sinum auctor has literas condidit: sed temporis beneficio servatae nobis sunt, et eruditorum industriâ ad communem utilitatem protractae.

Aliunde satis constat, eâ aetate institutionem in Italiâ non eo spectavisse, ut cives ad humanitatem informarentur, sed ut prae animi sensibus ingenii excolerentur vires. Idem Machiavelli epistolae confirmant: e quibus efficimus, ab incredibili morum licentiâ, quae in hisce terris regnabat, cultissimos honestissimosque viros adeo non immunes fuisse, ut haec vitia, nisi ipsi iis indulgerent, facile tamen et lubenter in aliis tolerarent. Machiavelli quoque familiares, qui eandem, atque ipse, fortunae varietatem et inconstantiam pas-

„ lui, o i suoi a qualche cosa, perchè io crederei fare
„ onore a voi, e utile a me."

passi erant, curas suas confabulando, ludificando, amando, rixando etiam, fallere solebant. Et vero ille hilarem se socium omnibus praebebat. Nam profecto nihil nobis magis mirum accidit, literas hasce legentibus, quam, cujus adhuc gravitatem et severitatem, suspeximus, ejus subito levitatem ac petulantiam cognoscere. Non solum enim, quanquam quinquagenarius fere et matrimonii fidei adstrictus, Veneris illecebris ita delinitur, ut interdum nihil aliud cogitare videatur, sed etiam temperare sibi non potest, quin furta sua sodaliumque protervitatem fuse et magnâ cum voluptate Vettorio enarret, qui avide omnia accipit, et responsis suis probat, se non minus liberis amoribus quotidie muneris tristitiam resolvere (1). Indicavi tantum loca, quae satis superque declarant, omnia hosce homines in amore concedere: nimis enim turpia sunt, quam ut illa hic subjiciam.

In-

(1) Cff. omnino Epist. XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXIII, XXXIV, XL. Quâ epistola jure haec ad amicum scripsit:

„ Chi vedesse le vostre lettere, onorando Compare, e „ vedesse la diversità di queste, si maraviglierebbe assai, „ perchè gli parebbe ora che noi fossimo uomini gravi, „ tutti volti a cose grandi, e che ne' petti nostri non „ potesse cascare alcun pensiero, che non avesse in se „ onestà e grandezza. Però dipoi voltando carta gli parrebbe quelli noi medesimi esser leggieri, inconstanti, „ volti a cose vane. E questo modo di procedere se a „ qualcuno pare sia vituperoso, a me pare laudabile, perchè noi imitiamo la natura, che è varia; e chi imita „ quella non può esser ripreso."

Caeterum inopia aliorum, aliorum avaritia, sodalitatis vinculum subinde infringere minabantur. Omnes hujus generis querimonias cum amico communicat Machiavellus: quaeque nobis nunc ridicula fere apparent, ipse, quippe miser, tanquam seria tractat (1).

Sed nolit quis putare, egregium legatum ita lubidinibus hisce a gravissimarum rerum meditatione distractum fuisse, ut abhinc non vixerit amplius, sed in vitâ moratus fuerit: nihil cogitari potest a veritate magis alienum. Quod tantum voluptati tribuerit, hominis hoc quidem vitium est, sed multo magis temporum, quibus nulla alia gentes Christianae cognoverunt corrupta magis. Ipse ad altiora natum et excultum se sentiebat: haec ante omnia ap-

(1) Initio epistolae XIV haec legimus: ,, La brigata, ,, che voi sapete quale è, pare una cosa smarrita, perchè ,, non ci è colombaja che ci ritenga, e tutti i capi di essa ,, hanno avuto un bollore. Tommaso (del Bene) è diventato strano, zotico, fastidioso, e misero di modo, che ,, vi parrà alla tornata trovare un altro uomo; e vi voglio ,, dire quel che mi è intervenuto. Ei comprò alla settimana passata sette libbre di vitella, e mandolla a casa ,, Marione. Dipoi per parergli avere speso troppo, e volendo trovare chi concorresse alla spesa, andava limosinando chi vi andasse a desinar seco. Pertanto mosso ,, da compassione vi andai con due altri, i quali gli accattai ancora io. Desinammo, e venendo al far del ,, conto, toccò 14 soldi per uno. Io non ne avevo al lato ,, se non dieci; restò aver da me quattro soldi, e ogni dì ,, me li richiede; e pure jeri sera ne fece questione meco ,, in sul ponte vecchio. Non so se vi parrà ch'egli abbia ,, il torto; ma questa è una favola alle altre cose che s'fa."

appetit. Inter media igitur gaudia et risus infelicem se profitetur. Amicorum jocis lusibusque sese dat; sed tantum, ut animi moerorem dissipet (1).

Ipsae illae literae, quae levitatem viri arguunt, arguunt simul generosam ejus indolem: quamque invitus corporis imperio uteretur, qui tum demum animâ fruebatur, si, aliquo negotio intentus, praeclari facinoris aut artis bonae famam quaereret. Itaque tantum abest, ut, mollissimo otio diffluens, severiora negligat, ut contra toto animo in meditandis principum consiliis et explorando dubiarum rerum eventu versetur. Plenae sunt epistolae ejus accuratae et acutae de publicis Italiae negotiis disputationis, quae et fructus continet utilitatis, quam ex legationibus percepit, et simul principia eorum, quae in majoribus operibus latius explicavit. Haec cum amico commentans, sui infortunii obliviscitur, et aliquam saltem superiorum temporum suavitatem degustare videtur (2).

Quin

(1) „ *Però se alcuna volta io rido o canto,*
„ *Facciol, perchè non ho se non quest' una*
„ *Via, da sfogare il mio angoscioso pianto.*"
cf. Epist. XIV.

(2) „ Io in mezzo di tutte le mie felicità, ita, Epistolâ „ XVII, ad Vettorium scribit Machiavellus, non ebbi mai „ cosa che mi dilettasse tanto, quanto i ragionamenti vostri, „ perchè da quelli sempre imparavo qualche cosa; pensate „ adunque, trovandomi ora discosto da ogni altro bene, quanto mi sia stata grata la lettera vostra, alla quale non manca „ altro che la presenza vostra, e il suono della viva voce, „ e mentre la ho letta più volte ho sempre sdimenticato „ le infelice mie condizioni, e parmi esser ritornato in

F „ quel-

Quin votum, quod in epistolâ ad Vettorium facit, se de re publicâ amplius cogitare nolle, et voluptas, quam ex amici benevolentiâ percipere ingenue fatetur, quum is de difficillima quaestione sententiam ipsius rogaret, egregie probant, quanto superiorum laborum desiderio agitaretur.

Sed, quamvis impense vitae civilis pericula adire cupiat, et fortunae iniquitátem subinde aegrius ferat, non tamen vanas et steriles querelas jactat, aut ad aucupandam potentiorum gratiam aliorum unice opem et auctoritatem implorat. Ipse se eorum favore dignum gravissimisque negotiis parem ostendere vult. Cumque honestissima ejus spes ad irritum cecidisset, et reliqua aetas a re publicâ procul habenda ipsi esse videretur, Sallustii exemplo, non fuit consilium secordiâ atque desidiâ bonum

„ quelli maneggi, dove io ho invano tante fatiche durato, e speso tanto tempo. *E benchè io sia votato non pensare più a cose di stato, nè ragionarne, come ne fa fede l'essere io venuto in villa, ed avere fuggito la conversazione*, nondimanco per rispondere alle dimande vostre, sono forzato rompere ogni voto, perchè io credo essere più obbligato all' antica amicizia che tengo con voi, che ad alcuno altro obbligo che io avessi fatto ad alcuna persona; massime facendomi voi tanto onore, quanto nel fine di questa lettera mi fate, che a dirvi la verità io ne ho preso un poco di vanagloria, essendo vero *quod non parum sit laudari a laudato viro*. Dubito bene che le cose mie non vi abbino a parere dell' *antico sapore*, del que voglio mi scusi l'avere *col pensiero in tutto* queste pratiche abbandonate, ed appresso non intendere delle cose che corrono alcuno particolare."

num otium conterere; sed a quo incepto studio eum vitae sors detentura videbatur, eodem regressus, statuit omnia, quae aut agendo aut legendo perceperat, memoriae tradere.

Itaque jam videndum est, quibus ingenii monimentis et solitudinem suam illustraverit, et obscuraverit fere vitae ante actae splendorem. In iis libellus *del Principe* reliquos aetate antecedit. Hic, quo consilio, quâ opportunitate, confectus sit, elegantissima nobis Machiavelli epistola declarat; in quâ amico ita vitam enarrat, quam rure agit, ut nos suavissimo quodam detineat orationis flumine, et simul, quae de viri indole monuimus, egregie confirmet (1). Quodsi enim percipimus, neutiquam Ma-

(1) Cum alias ob causas maximam hujus epistolae partem *hic* subjicimus: tum in primis, quod in paucis tantum Machiavelli Editionibus, Italicâ linguâ, expressa est.

„ Io mi sto in villa, (ita inter alia ad Vettorium, Epist.
„ XXVI, scribit) e poichè seguirono quelli miei ultimi ca-
„ si, non sono stato, ad accozzarli tutti, venti dì a Fi-
„ renze. Ho insino a qui uccellato ai tordi di mia mano,
„ levandomi innanzi dì; impaniavo, andavane oltre con un
„ fascio di gabbie addosso, che parevo il Geta quando
„ tornava dal porto con i libri di Anfitrione, pigliavo al-
„ meno due, al più sette tordi. Così stetti tutto settem-
„ bre, dipoi questo badalucco, ancorachè dispettoso e
„ strano, è mancato con mio dispiacere: e quale la vita
„ mia dipoi vi dirò. Io mi levo col sole; e vommi in un
„ mio bosco che io fo tagliare, dove sto due ore a riveder
„ l'opere del giorno passato, ed a passar tempo con quei
„ tagliatori, che hanno sempre qualche sciagura alle mani,
„ o fra loro, o co' vicini.

. . . .

„ Par-

Machiavello, temporis fallendi aut moestitiae ex animo pellendae causâ, eorum displicuisse societatem, qui ipsi

„ Partitomi dal bosco io me ne vo ad una fonte, e di „ qui in un mio uccellare, con un libro sotto, o Dante, „ o Petrarca, o uno di questi poeti minori, come dire „ Tibullo, Ovidio, e simili. Leggo quelle loro amorose „ passioni, e quelli loro amori, ricordomi de' mia, e go- „ domi un pezzo in questo pensiero. Trasferiscomi poi „ in sulla strada nell' osteria, parlo con quelli che pas- „ sano, domando delle nuove de' paesi loro, intendo va- „ rie cose, e noto varj gusti e diverse fantasie di uomini. „ Viene in questo mentre l'ora del desinare, dove con la „ mia brigata mi mangio di quelli cibi, che questa mia „ povera villa, e paulolo patrinonio comporta. Mangiato „ che ho, ritorno nell' osteria: qui è l'oste per l'ordinario, „ un beccajo, un mugnajo, due fornaciai. Con questi io „ m'ingoglioffo per tutto dì giuocando a cricca, a tric „ trac, e dove nascono mille contese, e mille dispetti di „ parole ingiuriose, ed il più delle volte si combatte un „ quattrino, e siamo sentiti non dimanco gridare da San „ Casciano. Così rinvolto in questa viltà traggo il cer- „ vello di muffa, e sfogo la malignità di questa mia sorte, „ sendo contento mi calpesti per quella via, per vedere se „ la se ne vergognasse. Venuta la sera mi ritorno a casa, „ ed entro nel mio Scrittojo: ed in sull' uscio mi spoglio „ quella veste contadina, piena di fango e di loto, e mi „ metto panni reali e curiali, e rivestito condecentemente „ entro nelle antiche corti degli antichi uomini, dove da „ loro ricevuto amorevolmente mi pasco di quel cibo, che „ *solum* è mio, e che io nacqui per lui; dove io non mi „ vergogno parlare con loro, e domandare della ragione „ delle loro azioni; e quelli per loro umanità mi rispon- „ dono; e non sento per quattro ore di tempo alcuna noja, „ sdimentico ogni affanno, non temo la povertà, non mi „ sbigottisce la morte; tutto mi trasferiço in loro. E per- „ chè Dante dice = Che non fa scienza senza ritener lo „ inteso = io ho notato quello di che per la loro con- „ versazione ho fatto capitale, e composto un opuscolo

„ di

ipsi loco, ordine, ingenio, morumque elegantiâ longe inferiores essent, neque eum a vilissimarum aut igno-

,, *de Principatibus*, dove io mi profondo quanto io posso ,, nelle cogitazioni di questo subietto, disputando che co- ,, sa è principato, di quali spezie sono, come e' si acquis- ,, tano, come e' si mantengono, perchè e' si perdono; e ,, se vi piacque mai alcun mio ghiribizzo, questo non vi ,, dovrebbe dispiacere; e ad un principe, e massime ad ,, un principe nuovo, dovrebbe essere accetto; però io lo ,, indirizzo alla Magnificenza di Giuliano. Filippo Casa- ,, vecchia l'ha visto; vi potrà ragguagliare della cosa in se, ,, e de' ragionamenti ho avuti seco, ancorchè tuttavolta ,, io lo ingrasso, e ripulisco.

. . . .

,, Io ho ragionato con Filippo di questo mio opuscolo, ,, se gli era bene darlo, o non lo dare; e se gli è ben ,, darlo, se gli era bene che io portassi, o che io ve lo ,, mandassi. Il non lo dare mi faceva dubitare che da ,, Giuliano non fussi, non che altro, letto, e che questo ,, Ardinghelli si facessi onore di questa ultima mia fatica. ,, Il darlo mi faceva la necessità che mi caccia, perchè ,, io mi logoro, e lungo tempo non posso stare così, che ,, io non diventi per povertà contennendo. Appresso il ,, desiderio avrei che questi Signori Medici mi cominciassino adoperare, se dovessino cominciare a farmi voltola- ,, re un sasso; perchè se io poi non me li guadagnassi, ,, io mi dorrei di me; e per questa cosa, quando la fussi ,, letta, si vedrebbe che quindici anni che io sono stato ,, a studio dell' arte dello Stato, non gli ho nè dormiti, ,, nè giuocati; e dovrebbe ciascuno aver caro servirsi d'uno, ,, che alla spese di altri fussi pieno di esperienza. E della ,, fede mia non si dovrebbe dubitare, perchè avendo sem- ,, pre asservato la fede, io non debbo imparare ora a ,, romperla; e chi è stato fedele e buono quarantatre anni, ,, che io ho, non debbe poter mutar natura; e della fede, ,, e bontà mia ne è testimonio la povertà mia."

ignobilium certe rerum occupationibus se abstinuisse; ab alterâ tamen parte non sine summâ voluptate ipsum audimus narrantem, quam lubenter sese ex iis eripiat, et ad ea studia redeat, ad quae unice se natum et excultum sentiret, in quibusque exercendis demum amissum dignitatis et felicitatis sensum recuperaret. Et, quod opusculum *del Principe* attinet, fuit illud solitudinis solatium, fructus diligentis et perpetui antiquorum studii et longae experientiae, e quo fonte omnia ejus scripta politica manarunt. Scripsit Machiavellus, ut cogitata bene enuntiaret, lecta sibi propria faceret, aequalibus utilis esset. Cumque libri materia novo principi aptissima videretur, simul speravit, fore, ut hac ratione Mediceis probaturus esset, quantâ et industriâ et solertiâ valeret: quantaque a se fidelitas posset exspectari, qui per omnem vitam integritatis et innocentiae existimatione floruisset.

Juliano opusculum dedicare in animo habuit. Hunc enim et Laurentium novis regnis destinaverat ambitiosa Leonis X imperandi cupiditas, superiorum Pontificum vestigia presse secuti: quod cum ex aliis epistolis, tum ex historicorum testimoniis discimus. Iam diu, antequam Machiavellus amicum suum certiorem fecerat, se politici argumenti librum composuisse, Vettorius, in epistolâ, die 12 mens. Jul. A. 1513 scriptâ, diversorum principum consilia explorans, firmum Leonis X propositum memorat nova Juliano et Laurentio regna parandi. Incertum quidem ipsi videtur, quasnam ille

ille proprie regiones spectet: sed ideo hosce parum Florentinorum res curare credit, quod aliud imperium appeterent (1). Quam acute id viderit, et eventus mox docuit, et Machiavelli epistola confirmat. Hic enim, cum multis sermonibus et vario rumore accepisset (2), Julianum Parmae, Placentiae, Mutinae et Regii Lepidi dominum evasurum, nihil potius habet, quam Vettorio omnia praesidia exponere, quibus tale novum imperium tutandum et firmandum fo-

(1) Cf. Epistola XXI. „Cominciando dal Papa, inquit „Vettorius, diremo che il fine suo sia mantenere la chiesa „nella reputazione l'ha trovata, non volere che diminuisca di stato, *se già quello che gli diminuisse non lo* „*consegnasse a' sua, cioè a Giuliano e Lorenzo, ai* „*quali in ogni modo pensa dare stati.*" Et paulo post de eâdem re ita disputat: „Che voglia dare stato ai „parenti, lo mostra che così hanno fatto li Papi passati „Calisto, Pio, Sisto, Innocenzio, Alessandro e Giulio; „e chi non l'ha fatto, è restato per non potere. *Oltre* „*a questo si vede che questi suoi a Firenze pensano po-* „*co, che è segno che hanno fantasia a stati che sieno* „*fermi, e dove non abbino a pensare continuo a dondo-* „*lare uomini. Non voglio entrare in considerazione* „*quale stato disegni, perchè in questo muterà proposito,* „*secondo l'occasione.*"

(2) „In lui (Juliano) si discorreva che si fosse per far „cadere il regno di Napoli; in lui il Ducato di Ferrara; „a lui si procurasse di appropriare Lucca, Siena e Pisa; „ed in somma Giuliano pareva che fosse sempre oggetto „principale di tutti i pensieri e concetti del Papa." Haec leguntur in Leonii *Vita di Francesco Maria, duca d'Urbino* l. II p. 165, laud. a Roscoïo l. l. T. II p. 278. Cf. idem p. 179 sqq. Sismond. T. XI p. 39, 40. „Les „Médicis allaient jusqu'à espérer le royaume de Naples „pour Julien, le duché de Milan pour Laurent."

foret, quae cum doctrinâ, in opusculo *del Principe* expositâ, prorsus conveniunt (1). Sed praecox

Ju-

(1) » Paolo vostro (Vettorii frater) è stato qui con il Mag-
» nifico (Juliano), e intra qualche ragionamento ha avuto
» meco delle speranze sue, mi hà detto come Sua Signoria
» gli ha promesso farlo Governatore di una di quelle terre,
» delle quali prende ora la signoria. Ed avendo io in-
» teso, non da Paolo, ma da una comune voce, che egli
» diventa signore di Parma, Piacenza, Modana e Reggio,
» mi pare che questa Signoria fosse bella e forte, e da
» *poterla in ogni evento tenere, quando nel principio*
» *la fosse governata bene.* Ed a volerla governare bene,
» bisogna intender bene la qualità del subjetto. Questi
» stati nuovi, occupati da un Signore nuovo, hanno vo-
» lendosi mantenere infinite difficoltà. E se si trova diffi-
» coltà in mantener quelli che son consueti ad esser tutti
» un corpo, come verbi grazia sarebbe il ducato di Fer-
» rara, assai più difficultà si trova a mantener quelli,
» che sono di nuovo composti di diverse membra, come
» sarebbe questo del signore Giuliano, perchè una parte
» di esso è membro di Milano, e l'altra di Ferrara. Debbe
» pertanto chi ne diventa principe pensare di farne un me-
» desimo corpo, e come trarli ed avvezzarli a riconoscere
» uno il più presto che può (Cf. *del Principe* C. III).
» Il che si può fare in due modi; o con il fermarvisi per-
» sonalmente, o con preporvi un luogotenente che coman-
» di a tutti, acciocchè quelli sudditi, *etiam* di diverse
» terre, e distratti in varie opinioni, comincino a riguar-
» dare uno solo, e riconoscerlo per principe. E quando
» Sua Signoria, volendo stare per ancora a Roma, vi pre-
» ponesse uno, che conoscesse bene la natura delle cose,
» e le condizioni de' luoghi, farebbe un gran fondamento
» a questo suo stato nuovo. Ma se e' mette in ogni terra
» il suo capo, e sua Signoria non vi stia, si starà sempre
» quello stato disunito, senza sua riputazione, e senza
» poter portare al principe reverenza o timore. Il duca
» Valentino, *l'opere del quale io imiterei sempre quando*
» *fossi principe nuovo*, conosciuta questa necessità fece
» Mon-

Juliani mors illorum antevertit consiliorum exsecutionem, quae mite ejus et otii amantissimum ingenium ne amplexum quidem fuisse videtur. Ad haec Laurentii indoles multo erat accommodata magis. Itaque ab eo dux Urbinensis, quem Pontifex vehementer in odio habuit, terris suis vi exterminatus est, quas victor una cum nonnullis munitis locis ab agnato in feudum accepit. (1).

Itaque, quid de eorum sententiâ statuendum sit, qui autumant, Machiavellum docere voluisse Mediceos, quo tandem modo optime patriam urbem absoluto imperio premere possent, unusquisque facile intelligit. Uti enim ipse iis servire ubivis paratus erat, nec unius civitatis, quamvis florentissimae, terminis diligentiam et alacritatem suam includi passus est: ita quoque universam Italiam ante oculos habuit, cum de novo principatu commentaretur. Infra quoque videbimus, Florentiam, ipso judice, liberam unius potestatem nequaquam toleraturam fuisse. Neque major auctoritas Rankio tribuenda est, multis verbis contendenti, Machiavellum Laurentio non dedicasse tantum opusculum suum, sed ejus etiam indolem in omnibus respexisse

» **Monsignore . . . . (Remiro d'Orco: cf. *del Principe* C. VII) Presidente in Romagna, la qual delibera-**
» **zione fece quei popoli uniti, timorosi dell' autorità sua,**
» **affezionati alla sua potenza, confidenti di quella; e tutto**
» **l'amore gli portavano, *che era grande considerata la***
» ***novità sua*, nacque da questa deliberazione." Epist. XL.**

(1) Cf. Roscoius l. l. p. 300, 301.

se (1). Hujus enim argumenta omnia corruunt, modo cogitemus, auctorem non Laurentio, quem Borgiae similem fuisse Rankius pronuntiat, sed leni et mansueto Juliano confectum librum tradere voluisse. Cur postea, misso hoc, Laurentio libellum dedicaverit, quanquam incerta causa est, tamen in eo sitam fuisse arbitror, quod hic rei publicae gubernationem susceperat, quae penes illum fuerat (2). Multi, quoniam Laurentius importunitate suâ civium odium et contemtum in se suscitavisse videtur, graviter mutatum hoc auctoris consilium reprehenderunt. Sed ad aequius judicium ferendum invitat et paene cogit nos epistola, quae inter ejus literas propriâ ipsius manu conscripta reperta est. Caret diei et anni adscriptione,

(1) Cf. ejus opus: *Zur Kritik neuerer Geschichtschreiber*, Leipz. 1824 p. 197 sq. Cf. quoque Kellermannus, l. l. p. 25.

(2) Cf. Roscoius, l. l. p. 92. » Man hat manche Gründe dieser Maszregel angegeben, namentlich die Abneigung Julians gegen die Mühen und Unruhen der Regierungsgeschäfte, seine Aussichten auf einen glänzendern Wirkungskreis durch den Einflusz seines Bruders; das ältere Recht, welches Lorenz, als Familienhaupt der ältern Linie, auf jenen Posten in Florenz hatte. Wahrscheinlicher ist es indessen, dasz die Neigung Julians, die Wünsche der Einwohner von Florenz zu erfüllen, wovon er manche Beweise gegeben hatte, bei seinen Verwandten den Verdacht erweckte, er möchte nicht fest und zuverlässig genug seyn, weshalb sie lieber an seine Stelle einen jungen Mann setzten, unter dessen Namen sie selbst nach Gefallen herrschen könnten'' Cf., quem citat, Ammiratus, *Istor. Fior.* l. XXIX. Vol. III. p. 325 et *Ritratto di Lorenzo*, *Duca d'Urb.* Opusc. Vol. III. p. 192.

ne, nominisque titulo; editores eam Vettorio scriptam esse conjiciunt. Quidquid sit, manifesto probat, cum permultos alios, tum Machiavellum, primo saltem tempore, optima quaeque de Laurentio Mediceo sperasse, eumque dignum habuisse, quem observantiae documento honorarent (1).

Mense decembris A. 1513 affectus erat liber, in quo conficiendo et perpoliendo auctor mansit occu-

(1) Cf. Epistola XV hujus argumenti. » Io non voglio » lasciare indietro di darvi notizia del modo del procedere » del Magnifico Lorenzo, che è suto fino a qui di quali- » tà, che egli ha ripieno di buona speranza tutta questa città; » e' pare che ciascuno cominci a riconoscere in lui la fe- » lice memoria del suo avolo. Perchè Sua Magnificenza » è sollecita alle faccende, liberale e grato nell' audienza, » tardo e grave nella riposta. Il modo del suo conversa- » re è di sorta, che si parte dagli altri tanto, che non » vi si conosce dentro superbia; nè si mescola in modo, » che per troppa familiarità generi poca reputazione. Con i » giovani suoi eguali tiene tale stile, che nè gli aliena da » se, nè anche dà loro animo di fare alcuna giovenile in- » solenzia. Fassi in somma ed amare e reverire, piuttos- » to che temere; il che quanto è più difficile ad osserva- » re, tanto è piu laudabile in lui."

» L'ordine della sua casa è così ordinato, che ancora » vi si vegga assai magnificenza e liberalità, nondimeno » non si parte dalla vita civile. Talmente che in tutti i » progressi suoi estrinseci ed intrinseci non si vede cosa » che offenda, o che sia reprensibile; di che ciascuno pare » ne resti contentissimo. E benchè io sappia che da molti » intenderete questo medesimo, mi è parso descrivervelo, perchè col testimonio ne prendiate quel piacere, » che ne prendiamo tutti noi altri, i quali continovamente » lo proviamo; e possiate quando ne abbiate occasione farne fede per mia parte alla Santità di Nostro Signore."

cupatus. Quando vulgaverit, dubium est: fecisse illud videtur post diem 31 m. Jan. A. 1515 et ante diem 15 Jan. A. 1516. Quod conjicio, quoniam ab illo inde tempore nullae amplius ejus ad Vettorium epistolae exstant: et in iis, quae a mense dec. A. 1513 usque ad finem mens. Jan. A. 1515 plurimae reperiuntur, ne verbum quidem de hoc libro occurrit. Jam vero dubitari nequit, quin, si emisisset opusculum, et aut favorem aut repulsam tulisset, haec omnia statim cum amico fuisset communicaturus, quocum minutissima quaeque communicare solebat. Hoc certissimum est, quia cap. XXI. de vivo adhuc Hispaniae Rege Ferdinando loquitur: hic autem mortuus est die 15 Jan. A. 1516. Denique verosimile est, Laurentium, quo tempore Machiavellus se ei adplicavit, Florentinae rei publicae jam praefuisse: quod A. 1514 obtinuit.

Eodem autem tempore et libello *del Principe* operam dedit et quaestionibus Livianis. Saepius enim in altero opere ad alterum provocat (1). In illius initio (2) legimus, auctorem de rebus publicis non esse disputaturum, quoniam de his alias fusius disseruisset. Tunc igitur majori operi manum jam admovisse censeri debet. Quanquam hoc multo serius perfecit. Tempus enim, quo

(1) Cf. *del Principe* C. 8. *Discors.* Lib. II. C. I. C. XX. init. Lib. III. Cap. XLII.

(2) Cap. II. » Io lascerò indietro il ragionare delle Re- » publiche, perchè altra volta ne ragionai a lungo."

quo illud absolverit, accuratius definire haud possumus, quam si fidem iis habeamus, quae decimo libri secundi capite occurrunt. „ Qui existimant, „ inquit, pecuniam ad sui defensionem sufficere, „ non animadvertunt, tunc a Dario Alexandrum, et „ Romanos a Graecis superari debuisse. Neque „ vero nostra memoria aut Helvetii Carolum Audacem, aut *paucis abhinc diebus* Pontifex et „ Florentini tantâ difficultate Franciscum Mariam, „ Julii II nepotem, debellassent (1)." Exitum autem habuit hoc bellum mense Aug. v. Sept. A. 1517 (2).

Scripsit autem hosce commentarios, ut amicis gratificaretur, quorum benevolentiam et beneficentiam saepius expertus erat, et lubenter praedicare solebat. Erant hi cultissimi et amplissimi juvenes, Zanobius Buondelmontius, Laurentius Strozzius, Cos-

(1) Cf. C. 21. lib. II. » E che questo sià il vero, ol- » tra agli antichi esempi che se ne potrebbono addurre, » ce n'è uno esempio *fresco* in Italia. Perchè, come cias- » cuno sa, sendo Genova stata più volte occupata da' Fran- » cesi, sempre quel Re, eccetto che ne' presente tempi, » vi ha mandato un Governatore Francese che in suo no- » me la governi. Al presente solo, non per elezione del » Re, ma perchè così ha ordinato la necessità, ha lascia- » to governarsi quella città per sè medesima, e da un Go- » vernatore Genovese." Scripta haec sunt, postquam Octavianus Fregosus, A. 1515, perpetui Genuae rectoris titulum nomine Gallici Regis assumserat. Cf. Sismond., T. XI. p. 48. Vidd. quoque Disc. l. I. Cap. XXIII. ubi » citatur uno freschissimo esempio nel 1515."

(2) Cf. Sismond T. XI. p. 100.

Cosmus Rucellaius, Ludovicus Alamannius: quorum hic, editis permultis elegantiae suae documentis (1), nomen omni adeo posteritati commendavit. Utilissimae ingenii exercitationi operam dare solebant in hortis illis Oricellariis, quos, Bernardi Rucellai, Cosmi avi, Platonicam ibi academiam restituere volentis, jussu et sumtibus, aedificaverat Leo Albertus, quique magnam in artium, literarum et philosophiae historiâ celebritatem adepti sunt (2). Adolescentes autem illi, in antiquorum praestántiâ recolendâ corrupti sui aevi solatium quaerentes, a Machiavelli ore pendere solebant, qui et senior et accuratâ scientiâ excultus et longam edoctus experientiam esset. Hic igitur Livianas quaestiones iis destinavit, tum ut acceptorum ab iis beneficiorum memoriam perpetuaret, tum ut amicos doceret, quo modo tractanda esset historia, quae non tantum testis temporum, sed etiam vitae magistra appellari mereretur; tum vero, ut, dilucidâ antiquae virtutis Romanae, vitiorumque, quae cuncta recentioris Italiae instituta macularent, expositione, eos ad haec fugienda et illam imitandam, quoties per fortunam liceret, incitaret. Quoniam probi hominis officium arbitraba-

(1) Cf. Vita ejus, praefixa poemati *della Coltivazione*, p. 47—70 in Mediol. Classicorum Italicorum Edit. Vol. LIII.

(2) Cf. Tirabboschii *Storia della Litteratura Italiana*, Tom. VI. Edit. Mutin. A. 1790 p. 105, 806 et 658.

batur, bonum illud, quod, per temporis malignitatem et fortunae injuriam, ipse facere non possit, alios docere, ut aliquando, ex plurimis intelligentibus, unus forte, Diis amicus, illud perficiat (1). Ad Romanorum autem res gestas commentandas eo se magis excitatum fuisse profitetur, quo saepius mirari ipsum subiisset, antiquitati in caeteris negotiis plurima ac paene omnia tribui: in re publicâ vero gerundâ, in quâ maxime excellentia ejus et virtus emicuerit, nihil. Quid enim aliud est jus civile, quam sententiarum, a veteribus ICtis pronuntiatarum, complexus et collectio? Aut medica ars unde, nisi ex antiquorum experimentis, derivatur? Sed in ordinandâ re publicâ, in regno gubernando, re militari instituendâ, bello gerundo, jure subditis dicundo, imperio amplificando, nemo principum, aut belli ducum, nulla res publica, sese ad veterum normam composuit. Quod cum Machiavello in primis tribuendum videretur ignorantiae hominum, antiquorum historiam cum voluptate quidem, nunquam vero cum fructu, legentium; ad gravissimum illum errorem depellendum, Livianum opus explicare aggressus est. Ex diligenti enim antiquae virtutis cum recentiorum infamiâ comparatione summam utilitatem ad hodiernos lectores redundaturam esse judicavit (2).

Hisce autem commentariis origine et argumento cohaerent septem libri, quos de arte militari

(dell'

(1) Discorsi l. II. init.

(2) Cf. libri primi praefatio.

(*dell' Arte della Guerra*) scripsit Machiavellus. Jacuit enim plane, illâ aetate, in Italiâ ars, quam ipse, in illo certe civitatium statu, unam omnium maxime necessariam judicabat, cujusque neglectu factum esse pronuntiabat, ut patria praeda evaserit barbarorum. In legationum relatione, in epistolis, in cunctis omnino operibus suis, dolorem et indignationem suam de popularium ignaviâ et egregiae artis ignorantiâ declarat. Quin adeo grave hoc ipsi argumentum videbatur, ut et in opusculo *del Principe* datâ operâ de illo egerit, et peculiari illud opere retractaverit, quo principia, quae antea posuerat, quaeque res publica Florentina, ipso auctore, secuta erat, uberius exposuit, et in minutissima quaeque, ad militiae munus et ordinationem pertinentia, extendit. Ut igitur perversae in Italicis civitatibus disciplinae consideratio utriusque operis fons fuit, ita in iis idem similibus malis remedium proponitur, prudens ac libera Romanorum imitatio. Horum enim exemplum in pacis artibus Machiavello praeclarum, in bello vero admirabile prorsus ac paene divinum videbatur. Itaque hanc maxime gentem intuetur, ejusque instituta illustrat: multa tamen et ipse nova proferens, quibus rei militaris scientiam amplificaret. Denique eâ usus est oratione dialogique formâ, quâ ingenii et animi excellentiam omnibus probaret, et hoc opus suum propiori etiam cognatione cum commentariis Livianis conjungeret.

Nam

Nam in libri initio amici sui defuncti, Cosmi Rucellaii, memoriam, sincero luctu et eloquentissimâ virtutum laudatione, iis igitur parentalibus, quae una maxime desiderabilia sunt, honestavit. Quaecunque enim amicus in amico, civis in cive requirat, in illo mirifice conspiraverunt, quem Machiavellus omnibus, quos per totam vitam cognovisset, animi elatione et gloriae cupidine anteponebat. Tam intime autem et vere animi sui sensus expressit, ut amemus adolescentem, quasi recens nobis ereptus sit. In tanto dolore auctor unicum et dulcissimum solatium reperit repetendis omnibus carissimi capitis dictis et factis: in quibus cum colloquium excelleret, quod, in mediis hortis suis, cum celebratissimo Imperatore, Fabricio Colonna, de arte militari Cosmus omnium fere ultimum habuisset, cumque ipse sermoni interfuisset, Machiavellus literis eum mandavit, ut et amicum celebraret et res graves, quae ibi agitatae essent, promeret.

Venerat Florentiam Colonna, ut in ornatissimâ, omnique rerum copiâ et literarum varietate abundantissimâ urbe parumper sese in otio delectaret. Invitat eum Cosmus hortis, deliciis suis: excipitur autem a frequentibus familiaribus, eâ humanitate et observantiâ, quae magno viro a generosissimo quoque lubentissime tribui solet. Sponte nobis in mentem veniunt Ciceronis dialogi, legentibus suavem illam tum ceterarum rerum omnium, tum sermonis illius, qui facilem disputationi occasionem praebuit, descriptionem: atque ul-

tro fatemur, auctorem eodem delectu eademque libertate Romanorum scriptorum principem imitatum esse, quibus hic Platonis elegantiam exprimere solebat. Itaque, postquam coenaverant, ut reliquum diem consumant, aestivumque calorem effugiant, Cosmus opacissimas sylvae latebras petendas esse censet. Recumbentibus igitur omnibus, aliis in herbâ, quae perpetuam ibi viriditatem retinet, aliis in sedibus, sub procerissimis arboribus collocatis, Fabritius praedicare se satis non posse hujus lóci amoenitatem affirmat. Hospes autem ejus, animadvertens, diligenter eum nonnullas arbores attendere, quas ignorare videbatur: „Atqui, inquit, „mirandum hoc non est: quippe antiquioribus ma„gis, quam nostris hominibus, notae sunt." Singulas deinde nominatim appellans, narrat, Bernardum avum peculiari ardore et studio sese harum culturae dedere solitum fuisse. Cui Colonna: „Quan„to melius, inquit, fecissent illi, pace omnium „dixerim, si in rebus potius asperis et gravibus, „quam in levibus istis et mollibus, si in studiis, quae „solem, non quae umbram requirunt, veteres as„sequi studuissent: neque falsae et corruptae, „sed verae et perfectae antiquitatis mores sum„sissent! Ex quo enim ista Romanis meis placue„runt, patria mea pessum ivit." Ad quae Cosmus egregiam avitae virtutis defensionem profert. Nemo enim mollem ac delicatam vitam magis quam ille detestatus erat, severitatemque morum magis amaverat: sed neque ipse nec filii exprimere illam

ac-

actionibus suis potuerant, propter corruptum saeculum, quo, si quis a communi usu recederet, et, exempli gratiâ, Spartanorum more, liberos educaret, infamiam et contumeliam continuo contraheret. Lubenter legitimam hancce excusationem accipit Colonna: se autem non tam duram istam vitae rationem significasse ait, quam illam civilem ac humanam, quae hodiernis temporibus conveniret magis, ipsique rei publicae rectoribus non difficilis ad introducendum in civitatem videbatur. „ Equidem, ita pergit, „ nunquam ullâ in re a meorum (1) „ Romanorum exemplo recedere soleo. Quorum „ vitam et rem publicam si quis bene attendat, „ multa inveniet, quae in civitate, non omni des- „ titutâ humanitate, haud difficiliter exprimi possint." Roganti autem Cosmo, quales tandem essent mores illi meliores, et antiquis similes, respondet statim: „ Honorare et remunerari virtutem; „ non contemnere paupertatem; magni aestimare „ disciplinae militaris ordinationem et instituta; „ cives cogere, ut semet invicem diligant, nullis „ factionibus vivant, privata commoda publicis „ postponant: haec, inquam, omnia, mores sunt, „ quorum elegantiam civibus persuadere nequa- „ quam difficile esse potest: modo hanc rem se- „ rio cogitent, et prudenter aggrediantur. Tam „ per-

(1) Nomen, quo perpetuo fere hoc dialogo Romanos appellat Colonna, mihi non solum significationem caritatis, sed etiam cognationis, qua nobilissima eius gens veteribus Romanis cohaerere sibi videbatur, habere videtur.

„ perspicuam enim omnibus veritatem continet, „ ut unusquisque, non omnino rudis, eam cape- „ re possit. Itaque, qui hoc opus bene instituit, „ is arbores serit, sub quarum umbrâ felicius et „ laetius recumbent homines, quam sub hacce, „ quâ nunc fruimur."

Procedit ita naturali cursu ad ipsam disputationem oratio, quâ non solum omnis Romanorum ratio explicatur diligenter, et degenerati Italorum mores perstringuntur, sed multa etiam nova proponuntur, quae eo magis quis miretur, quod, uti in commentariis, ita in hâc quoque scientiâ, primus inter recentiores, ad tenebras pellendas, antiquorum et ingenii sui lucem attulerit Machiavellus; quodque civilibus unice negotiis intentus, tam egregiam disciplinae ab hisce studiis alienae operam navaverit. Sed eâ in re, ut ipse in praefatione ad Laur. Strozzium exponit, rursus Romanos duces habuit, apud quos boni civis officia tam belli quam pacis artes complectebantur. Ad politica autem Machiavelli principia intelligenda hi libri multum faciunt. Fabritius enim, sub cujus personâ ipse latet, saepissime ad ea, quae antiquitus aut recentiori aetate evenerunt, provocat, omniaque ad prudentiam civilem exigit: nec dissimulat, quam vitiosa ipsi appareat omnium Italicarum civitatium sui temporis ordinatio (1). Audiamus in primis, quae de prin-

(1) Cf. e. c. Lib. I. p. 27. » Tanto più debbe un regno » bene ordinato fugire simili artefici, perchè solo essi so- » no

principum socordiâ, de malis, quae inde patria subierit, et de remedio, quod tanto morbo a forti atque alacri viro afferri posset, in dialogi fine disputat.

Postquam enim universe milites, tunc temporis Italiam occupantes, depinxerat, qui adeo impudicitiae, gulae, aleae, rapinae dediti erant, adeo nihil reliqui victis facere, et sacra profanaque omnia polluere solebant, ut vel optimo Imperatori disciplinae instaurandae desperationem injicerent, ita orationem concludit: „Verum oculos, inquit, ad Italos convertamus, apud quos, quoniam a malis initiis orsi sunt, „ nullum institutum vigere potuit. Caruerunt illi „ ea necessitate, quae Hispanos ad meliorem militiae ordinationem coegit. Itaque nihil ipsi fecerunt, et in totius orbis terrarum vituperationem „ venerunt. Quod tamen non populorum, sed „ principum unice vitiis tribuendum est: qui culpae et ignorantiae suae debitas poenas luerunt, cum, summâ ignominiâ, et nullo dato alacritatis et fortitudinis specimine, regnis spoliati sint. Num vera haec sint, dubitatis? „ Ast, considerate, quaeso, quaenam bella inde a [illegible] „ Ca-

[illegible]

»no la corruttela del suo Re; ed in tutto ministri della » tirannide. E non mi allegate all' incontro alcun regno » presente, perchè io vi neghorò, *tutti quelli essere* » *regni bene ordinati.*" Et paulo post: » Ma io vo» glio in questo essere un poco più largo, nè ricercare » un regno al tutto buono, *ma simile a quelli che sono* » *oggi.*"

„ Caroli expeditione ad hodiernum usque diem in Italia gesta sint. Quo graviora illa fuerunt, eo majorem infamiam et populis et principibus pepererunt. Cujus infortunii origo inde repetenda est, quod vetus militiae disciplina mala esset, neque existeret aliquis, qui novam et meliorem excogitaret. Nolite enim credere, fore ut aliquando suus Italicis armis honos reddatur, nisi et eam viam ineant duces, quam ego monstravi, et huic studio ii sedulo sese dent, qui amplis imperiis in nostra patria praesunt. Sed credebant principes nostrates, antequam barbarorum arma eos profligaverant, satis sibi esse, modo scirent cautum scriptis responsum dare, bellam epistolam exarare, dictis et sermonibus ingenii celeritatem et aciem prodere, fraudem aliquam moliri, gemmis et auro sese ornare, ceteris hominibus splendidius dormire et vivere; omnibus deliciis sese circumdare, subditos suos avare et superbe habere, desidiâ marcescere, militares honores per gratiam conferre; unumquemque, qui meliora eos docere auderet, despicere, vocem suam, oraculi instar, coli postulare; neque animadvertunt miseri, se omnia ita administrare, ut primi cujusque adgredientis facillima praeda fiant. Inde enim magna omnium trepidatio, subitae fugae, et incredibiles clades, quae A. 1494. factae sunt, repeti debent; hoc modo tria potentissima regna saepius direpta et diruta fuerunt. Quod vero omnium pessimum est,

„ ea,

„ ea, quae adhuc subsistunt, iisdem erroribus ete-
„ demque omnium rerum turbatione labant."

Notandum est, hoc unicum esse opus, quod, vivo auctore, typis mandatum sit (1): unde facile illorum temeritatem efficias, qui ex eo, quod liber *del Principe* post illius mortem demum publici juris factum fuerit, concludunt, Machiavellum librum clam Mediceis misisse et prudenter reliquos omnes celasse.

Paucis ita tria majora Machiavelli opera recensuimus, quae tempore et argumento continuo sibi cohaerent. Nunc vero regrediendum nobis est, et videndum, quo modo Medicei virum tractaverint, qui omni modo eorum favorem et affectaret et mereretur. Ac, vivo quidem Laurentio, nullam omnino ab iis vel gratiae vel benevolentiae significationem obtinuit. Post illius mortem demum, quam 28 die April. A. 1519 subiit, Pontifex Leo cum aliorum, tum Machiavelli, de reformanda Florentina civitate sententiam rogavit: quam peculiari scriptione magnâ cum ubertate exposuit. Omni attentione digna haec est: sed ut auctoris sagacitatem rite aestimemus, bene considerandum erit, tantam id temporis fuisse Mediceorum vim et auctoritatem, ut Florentini sese iis eripere non potuerint. Diuturnis et crudelissimis bellis liberata

erat

(1) Prima hujus libri editio, quae quidem nota est, facta est a Juntis mens. Aug. A. 1521. Cff. *Oeuvres de Machiavel*, Vol. I. *Préface du Traducteur*, p. 26.

erat Italia. Leo tantum non omnia poterat, ut nihil cogitaret minus, quam aliquam potentiae suae diminutionem. Ab altera parte, Juliano et Laurentio vitâ defunctis, ipse a stirpe Mediceâ, quae magnum Cosmum auctorem habuit, solus legitimus nepos remansit: Julius, senioris Juliani spurius, Cardinalis erat: reliquis spuriis junioribus, Hippolyto et Alexandro, Leo minus curavisse videtur. Itaque cum Mediceae domûs commodis et utilitatibus concilianda erat Florentinorum salus: quod ita assequi studet Machiavellus, ut jam nunc majorem civibus libertatem tribuendam esse censeat, servatâ tamen Leoni et Julio per totam vitam clam summâ vi in civitatem: quae, mortuis demum ipsis, sui juris evaderet et propriâ civium auctoritate et consilio regeretur. Omnes imperii formas, quibus, inde ab A. 1393 ad hunc usque diem, usi erant Florentini, vitiosas declarans, se ab eorum opinione valde alienum profitetur, qui eandem retinere vellent rei publicae gubernandae ordinationem, quae tempore magni Cosmi et Laurentii obtinuisset, inter alia hancce causam interserens, quae insignem viri probitatem mihi referre videtur. „ Medicei, ita disputat, qui antea rei publicae „ praefuerunt, quod una cum ceteris civibus edu„ cati atque instituti erant, tantâ sese familiarita„ te gerebant, ut omnium gratiam sibi concilia„ rent: nunc autem adeo fortunâ creverunt, ut, „ supra omnes civium ordines elati, nullâ sese ci„ vilitate commendaverint, nullâque igitur gratiâ flo-

„ re-

„ rere potuerint: ita ut, diversorum hominum tem„ porumque ratione habitâ, graviori errore labi non „ possimus, quam putando, in tantâ morum dis„ similitudine, majorum disciplinam posse redinte„ grari. Quodsi enim decimus quisque annus iis „ civitatis principatum amittendi periculum at„ tulerit, hodie sine ullo dubio illud amitterent. „ Neve credat aliquis, homines facile ad vetus ac„ consuetum vivendi genus redire. Hoc tum de„ mum verum est, si antiquus ille modus ipsis „ magis, quam novus, placeat. Alioquin non ad „ illum, nisi coacti, redeunt, neque diutius reti„ nent, quam vis durat (1)." Non magis autem illam rerum rationem laudat, quam inde ab exsilio usque ad reditum Mediceorum (ab A. 1494—1512) veram Florentinis libertatem allaturam esse falso existimaverant. „ Post Caroli VIII adventum, ita disputat, res „ publica ordinari coepta est, non eo tamen mo„ do, ut diuturna esse posset. Etenim neque „ instituta illa omnibus civium desideriis satisfe-

„ ce-

(1) Omnium minime hoc loco haec ejus animadversio omittenda videtur. » Quello stato [Cosmi et Laurentii principatus] » aveva per amico l'universale, e questo (Mediceorum auc» toritatem, mortuo Laurentio duce, A. 1519, significat) l'ha » inimico; quelli cittadini non avevano mai trovato in Firenze » stato che paresse più universale di quello, questi ne han» no trovato uno, chi pare loro più civile, e dove e' si » contentano più." Et paulo inferius „ Erano, inquit, » i cittadini consueti a pagare assai gravezze; ora o per » impotenza, o per dissuetudine se ne sono divezzi, ed » a volergli avvezzare è cosa odiosa e pericolosa." Cff. Opere Vol. IX p. 282.

„ cerunt, neque haec reprimi potuerunt. Manca „ igitur et rei publicae nomine indigna talis re„ rum consitutio merito dicenda erat, quâ per„ petuâ potestate Vexillifer, si callide atque im„ probe ageret, facile imperium usurpare vale„ ret: sin obsequenti atque imbecilli animo esset, „ levi operâ, cum totius civitatis ruinâ, de statu „ suo dejici posset." A perversâ multorum opinione, cunctis civitatibus eadem prorsus instituta obtrudere cupientium, ita abhorruit Machiavellus, ut contra (quod in praecipuâ politici scriptoris laude ponimus) diversam imperiorum, quibus consilia sua adaptaverit, naturam probe attenderit (1). Itaque in Florentinâ civitate unius imperium into-

(1) » Ha ad intendere questo vostra santità, che in „ tutte le città, dove è grande equalità di cittadini, non „ vi si può ordinare Principato se non con massima diffi„ cultà; perchè a voler creare una Repubblica in Mila„ no, dove è grande inequalità di cittadini, bisognereb„ be spegnere tutta quella nobilità, e ridurla ad una „ equalità con gli altri; perchè tra di loro sono tanto „ estraordinarj, che le leggi non bastano a reprimerli, „ ma vi bisogna una voce viva, e una potestà regia che „ gli reprima. E per il contrario a volere un Princi„ pato in Firenze, dove è una grandissima equalità, „ sarebbe necessario ordinarvi prima la inequalità, e far„ vi assai nobili di castella e ville, i quali insieme con „ il Principe tenessino con l'armi e con l'aderenze loro „ suffocata la città, e tutta la provincia. Perchè un „ Principe solo spogliato di nobiltà non può sostenere „ il pondo del Principato; però è necessario, che infra „ lui e l'universale sia un mezzo, che l'ajuti sostener„ lo. Vedesi questo in tutti gli stati di Principe, e „ massime nel regno di Francia, come i gentiluomini „ sige-

tolerabile pronuntiat; eam vero ibi inaequalitatem retinendam censet, quae et omni aevo ipsi propria fuit, et ipsa hominum natura afferre videtur: atque tales ferri leges jubet, quae optimatibus, civibus, plebi, sua singulis jura tribuant. Ab justâ enim illarum ordinatione, omnium amorem erga novum rerum ordinem pendere intellexit: eo magis, quod pristinus civitatis status nullâ aliâ caussâ collapsus esset, quam quod principum desideriis haud satisfactum fuisset.

Varia deinde Pontifici consilia dat, quae permagnum rerum civilium usum et raram naturae civitatium cognitionem produnt, et vero ostendunt, quantâ calliditate consilia sua Leoni commendare studeat (1). Neque minus eum, ut temporibus prudenter cedat, admonet: rebus enim eodem statu remanentibus, primâ quâque occasione, tumultus orituros esse, ei praedicit: cum plena sit urbs factionibus, conturbantibus omnia. Quibus duobus tan-

„ signoreggiano i popoli, i Principi i gentiluomini, ed il „ Re i Principi."

(1) Sic p. 291 auctor est Leoni, „ perchè suoi amici „ fussino certi, andando a partito nel Consiglio, d'essere imborsati, di deputare otto accoppiatori, che stando al se„ creto potessino dare il partito a chi e' volessino, e non lo „ potessino torre ad alcuno. E perchè l'universale credesse che fussero imborsati quelli che lui vincesse, si „ permettesse, che il Consiglio mandasse al securo due „ cittadini squittinati da lui, per essere testimoni delle „ imborsazioni." Sed reputandum est, perpetuas fere fuisse Florentinorum de fraudibus in eligendis iis, qui magistratu fungendi jus obtinerent, commissis, querelas.

tum modis, ipso judice, occurri possit: aut nemini audientiam tribuendo, nec cuiquam, nisi rogato, sententiam aperire permittendo: qui Laurentii mos fuerat (*come faceva la illustre memoria del Duca*): aut eo modo ordinando civitatem, ut ipsa se, connivente Pontifice, regeret. Ultima ratio ipsi praeferenda videtur, quippe quae rectorem et periculis et fastidio liberet, cum prior ista fastidium tantum abigat (1). Sed parum

(1) Quam vere et acute omnia praeviderit Machiavellus, tum demum patebit, si, quae Florentiae A. 1527 acciderunt, cum brevi hac disputatione conferamus. Tunc enim optimatium artibus expulsi sunt Medicei, quibus indulgendum esse Leoni auctor est Machiavellus, quorumque operâ priorem quoque regiminis formam mutatam esse affirmat. Deinde animadvertendum est, Florentinos, A. 1527, eandem fere induxisse civitatis administrationem, quae A. 1494 obtinuerat: secundum quam ,, il Popolo fù padrone di dare i Magi-,, strati, e di confirmare le leggi mediante una concione ,, ragunata, che si chiamò Consilio Grande, per uso del-,, la quale a' conforti suoi fu fabbricata una sala grande ,, nel Palazzo della Signorià che ora si vede in essere, ,, sed, ut ingenue addit, per diversi esercizj." Sunt verba Segnii. Istor. Fior. lib. I. p. 25. Unde solemnis locutio: *la sala, riaprire la sala: rassettare la sala*, quod statim, eductis Mediceis, locum habuit, ut copiose narrat Segnius, l. l. p. 26. De eadem aula cf. Rankius, l. I. p. 111. Machiavellus autem jam A. 1519 eâdem de re haec scripsit: ,, Senza satisfare all' universale non si fe-,, ce mai alcuna Repubblica stabile. Non si satisfarà mai ,, all' universale dei cittadini Florentini, se non si ri-,, apre la sala; però conviene, al volere fare Repubbli-,, ca in Firenza, riaprire questa sala, e rendere questa ,, distribuzione all' universale. E sappia vostra Santità, ,, che qualunque penserà di torle lo stato, penserà in-,, nanzi ad ogni cosa di riaprirla, e però è partito mi-,, glio-

rum haec omnia Leonem commoverunt, verosimiliter a sua aut fratris morte Florentinorum libertatem pendere nolentem (1). Itaque hunc civitatis res quam prudentissime regere jussit: ut et vetus domûs auctoritas intacta maneret, et discordiae nisi sanarentur, sedarentur tamen. Cui proposito ita Julius satisfecit, ut facilitate, placabilitate et animi lenitudine diversis partibus jucundum se reddiderit (2). Hic autem primus Mediceorum Machiavellum non omnino neglexit. Quamquam enim ejus operam in gerundis negotiis haud usurparet, ei tamen rei publicae Florentinae historiam, certo honorario (3), conscribendam mandavit. Magnâ alacritate et suscepit hoc opus Machiavellus, et ita perfecit, ut admirabile exstiterit. Statim enim legentibus illud a rerum civilium peritissimo viro conditum apparet. Nam, cum

„ gliore, che quella l'apra con termini e modi sicuri e
„ che la tolga questa occasione a chi fusse suo nemico di
„ riaprirla con dispiacere sua, e destruzione e rovina
„ dei suoi amici."

(1) Cf. Roscoius, l. l. Tom. III. p. 181: Pignottius l. l. p. 55.

(2) Cf. Roscoius, l. l. et Sismondius, T. XI. p. 114, qui in laudanda Julii prudentiâ conveniunt, in eo vero dissentiunt, quod ille eum per duos annos Florentiae remansisse hic contra rectius jam mense Octob. A. 1519, Romam rediisse affirmet: relictis Episcopo Fanensi et Cardinali Cortonensi, qui eius loco urbem regerent.

(3) » Io ebbi quell' augmento infino in cento ducate per » l'Istoria. Comincio ora a scrivere di nuovo, e *mi sfogo* » *accusando i Principi, che hanno fatto ogni cosa per* » *condurci qui.*" Epist. ad Guicciard. p. 165."

cum Leonardus Aretinus et Poggius urbis fata usque ad a. 1434 enarrassent, ipse tamen idem argumentum denuo aggressus est: quoniam superiores illi, in describendis iis, quae Florentini foris praeclare egerunt, diligentissimi, civiles discordias, domestica odia, quae civium accurate cognoscere plurimum interesset, silentio fere praeterierant. Machiavellus autem, quamvis ea, quae post annum 1434 apud exteros acciderunt, non praetermittens, internum tamen rei publicae statum potissimum exposuit, historiamque suam tum omnibus, qui rei publicae operam dare vellent, reddidit fructuosissimam, tum limpidissimum fontem effecit, e quo doctrinae ejus politicae cognitionem haurire possemus. Arcte enim cum ceteris ejus operibus materiae tractatione conjuncta est: in rebus gestis enarrandis, ut sponte intelligitur, longe copiosior est: sed, quae, me judice, hic maxime in censum veniunt, egregiae de gravissimis quibusque argumentis politicae animadversiones, in prooemiis, singulis libris praemissis, in orationibus, vel in media narratione, sparsae, hae ejusdem prorsus sunt naturae atque illae, quae in reliquis scriptis occurrunt; placitaque ejus adeo illustrant, ut accuratissimus quisque ejus operum interpres diligentissimam iis operam navare debeat. Eadem in iis conspicitur veneratio antiquitatis: et principum Italicorum perversaeque rerum publicarum ordinationis vituperatio. Omnes enim Italiae calamitates inde re-

repetuntur, „ quod in principibus nulla sit verae „ gloriae cupido, in rebus publicis nullum institu„ tum laudabile vigeat." Jacobi Piccinini perfidam necem memorans, hujus regionis proceribus exprobat, quod eam virtutem, quâ ipsimet destituerentur, in aliis metuerent, atque exstinctam cuperent: iisque praedicit, eos illam provinciam iis cladibus et calamitatibus expositures esse, quibuscum paulo post re verâ debuit conflictari (1). Quid, quod in libri quinti initio hanc instituat recentiores inter et antiquos comparationem, quâ satis declaret, quantopere aevi sui mores aversetur? „ Virtus, inquit, quae, aliis in „ regionibus, per diuturnam pacem, sopiri solet, „ apud nos bellorum vilitate periit: unde barba„ ris denuo via in Italiam adaperta est, Itali„ que eorum servitutem servire debuerunt. Quod „ si autem principum nostrorum tam domi quam „ foris res gestae, ob virtutem et magnitudinem, „ non eandem, atque antiquorum, legentibus ad„ mirationem allaturae sunt: fortasse tamen ob „ alias rationes non minori cum admiratione per„ cipientur. Ex iis enim cognoscere licebit, „ qui factum sit, ut tot nobilissimi populi a „ tam infirmis et male ductis militibus cohibiti „ fuerint. Et, quamvis in enarrandis corrupti „ hujus saeculi fatis, nullus de militis fortitudine, „ de imperatoris consilio, aut amore civis erga „ patriam sermo futurus sit: planum tamen fa„ ciemus, quasnam fraudes et artes principes,

„ mi-

(1) Lib. VII.

„ milites et rerum publicarum rectores ad eam
„ tuendam existimationem adhibuerint, quam nun-
„ quam promeriti sunt. Quod forte non mino-
„ ri usui erit, quam ipsa priscarum rerum in-
„ telligentia. Antiqui enim si liberalia ingenia ad
„ sui imitationem rapiunt, nostri aevi mores odium
„ et contemtum sui excitant."

Pontificiae potestatis abusum et importunitatem, quâvis occasione datâ, tam graviter perstrinxit, ut librum ad pontificem scriptum, ejusque consensu typis mandatum, talia continere mireris; eorum, qui postea sacram dignitatem omni ope tueri ac propugnare susceperunt, in auctorem odium non mireris. Sed animadvertendum est, Italos, ante sacrorum emendationem, nullâ fere aetate, sententiam suam de Ecclesiae vitiis celasse: et, post illam demum, liberius quodque effatum severissimâ ibi censurâ notatum fuisse. Quamquam vel sic tamen memorabilis sinceritas manet, quâ Machiavellus judicium suum de lubricâ re interponit. Hujus enim potentiae originem tradens, statim exemplis probare studet, omnium propemodum bellorum, quae ab eo tempore in Italia gesta a barbaris essent, auctores fuisse Pontifices, qui illos ut plurimum in pulcherrimam regionem adtraxissent: illosque unos robur atque vires Italiae et fregisse semper et adhuc frangere (1).

No-

(1) Istor. Fior. l. I. p. 214 sqq. Oper. Vol. III. Postquam memoraverat Machiavellus, Pontificem, ut sese ab il-

Nota est ignominia, quam ab Alexandro III Pontifice subiit Henricus II, Angliae Rex, A. 1171, propter necem Thomae Becketi, Cantuariae Episcopi (1). „ Tali judicio, ait Machiavellus, tantus „ Princeps se submisit, quali hodie ne privatus quidem

increscenti Longobardorum potentiâ tueretur, peregrinam Francici Regis opem implorasse, haec addit: „ Tutte le „ guerre che dopo questi tempi furono da' barbari fatte „ in Italia, furono in maggior parte dai Pontifici causate; „ e tutti i barbari che quella inondarono, furono il più „ delle volte da quelli chiamati. Il qual modo di procedere dura ancora in questi nostri tempi; il che ha tenuto et tiene l'Italia disunita ed inferma. Pertanto nel „ descrivere le cose seguite da questi tempi ai nostri, „ non si dimostrerà più la rovina dell' Imperio (Orientale e Occidentale), che è tutto in terra, ma l'augumento de' Pontifici, e di quelle altri principati che dipoi l'Italia infino alla venuta di Carolo VIII governarono. E vedrasi come i Papi, prima colle censurà, dipoi con quelle e con le armi insieme mescolate con le „ indulgenze erano terribili e venerandi; e come per avere usato male l'uno e l'altro, l'uno hanno al tutto perduto, dell' altro stanno a discrezione d'altri." Deinde, p. 259 sq., narrans, Hadrianum V Rudolfum Imperatorem sollicitasse, ut in Italiâ contra Carolum Andegavensem veniret. „ Cosè, inquit, Pontefici, ora per carità „ della Religione, ora per loro propria ambizione, non „ cessavano di chiamare in Italia nomini nuovi, e suscitare nuove guerre: e poichè eglino avevano fatto potente un Principe, se ne pentivano, e cercavano la sua „ rovina; nè permettevano che quella provincia, la quale per loro debolezza non potevano possedere, altri la „ possedesse."

(1) L. I. p. 252. Cff. Humius, History of England, Vol. I. Ch. VIII; Lingardius, History of England, Vol. II. Chapt. V. p. 315—319. Ed. Paris.

„ dem sese sine rubore submitteret. Etsi autem „ magna tum erat Pontificis auctoritas apud exteros, „ noluerunt tamen ei obedire Romani: a quibus „ nullo impetrare potuit modo, ut in urbem ip- „ si intrare liceret, quamquam Ecclesiae uni- „ ce negotiis sese immisturum esse promitte- „ ret (1). "

Nicolaus III a Machiavello notatur, quod primus fuit, qui ambitionem suam palam ostenderet, et hoc unum ageret, ut titulo et praetextu Ecclesiae amplificandae familiam suam eveheret. Abhinc enim plena est historia nepotum, cognatorum, imo vero filiorum Pontificum Romanorum. Qui omnes deinde nihil magis spectaverunt, quam ut hujusmodi cognatos principes relinquerent, et dignitatem suam haereditario jure ad eos devolverent. Neque tamen diu durarunt is-

(1) L. L. lib. I. p. 241. „ Tanto inquit, le cose, che „ pajono, sono più discosto, che d'appresso, temute." Eadem narrat Humius, l. l. p. 419 sq. Ed. Lond. A. 1818. „ Though, inquit, the name and authority of the court „ of Rome were so terrible in the remote countries of Euro- „ pe, which were sunk in profound ignorance, and were entire- „ ly unacquainted with its character and conduct, the Pope „ was so little revered at home, that his inveterate ene- „ mies surrounded the gates of Rome itself and even „ controlled his government in that city; and the am- „ bassadors, who, from a distant extremity of Euro- „ pe, carried to him the humble or rather abject sub- „ missions of the greatest potentate of the age, found the „ utmost difficulty to make their way to him, and to „ throw themselves at his feet."

isti principatus et dignitates: vel, quod ipsi Pontifices plerumque desinerent esse in vivis, antequam eos confirmassent: vel etiam, quod, etiamsi confirmassent, illos tamen eo in statu relinquerent, ut adversus potentiam et imperium aliorum sese defendere non possent (2).

Ut Colonnarum, potentissimae gentis, potentiam diminueret, Ecclesiae eam armis persequebatur Bonifacius (2). Quae res molestissima quidem iis accidit, magis tamen Romanae Ecclesiae, quam ipsis, nocuit. „ Nam arma illa, quae ob amorem „ fidei Christianae plurimum potuerant, ubi pro„ priae libidinis explendae causâ a Pontificibus „ adversus Christianos adhibita fuerunt, hebes„ cere coeperunt. Et fecit nimia haec dominandi „ cupiditas, ut sensim paulatimque omnem vim „ amitterent (3)."

Quan-

(1) De eodem haec habet l. II. p. 188. „ Era venuto il „ Pontificato in Niccolò III nato di casa Orsina: e per„ chè i Pontefici temevano sempre colui, la cui potenza „ era diventata grande in Italia, ancorachè la fusse coi „ favori della Chiesa cresciuta, e perchè ei cercavano di „ abbassarla ne nascevanogli spessi tumulti e le spesse va„ riazioni che in quella seguivano: perchè la paura di „ un potente faceva crescere un debile: e cresciuto „ che egli era, temere; e temuto, cercare di abbassar„ lo."

(2) L. I. p. 245. „ Oltre allo avergli scomunicati, „ bandì loro la crociata contro."

(3) Non solum cultissimi quique Itali omni ferè aevo de Pontificibus Romanis ita judicaverunt, sed idem prorsus de iisdem judicium fertur a Germanis ipsis, qui

Teu-

Quamquam autem in Medicei gratiam opus suum conscripsit, hujusque gentis principes universe multis laudibus extulit, nequaquam tamen aut eorum errores, aut adversariorum virtutes dissimulat Machiavellus (1). Nam et vehementer Silvestrum Mediceum improbat, cum factione suâ pristina in re publica partium studia resuscitantem (2), et eorum, qui ab hac familia starent, ra-

Teutonici ordinis apud aulam Romanam legati fuerunt, de quorum relatione ad magistros suos ita disserit, Voigtius, loco supra p. 175. laud. » Man wird sich nicht wundern, dass Luther vor einem aus Rom geschleuderten » Bannstrahle eben nicht sehr erschrak, wenn wir fast » hundert Jahre vor ihm in den gesandtschaftlichen Berichten mehrmals Äusserungen und Urtheile darüber vernehmen, die wie aus seinem Geiste geflossen sind. Wir » begnügen uns mit wenigen Beispielen, indem es in einem » Berichte aus dem Jahre 1429 heisst: Fürchtet Euch nur etwa » nicht vor dem Banne, der Teufel ist so hässlich nicht, als » man ihn oft malet, auch der Bann nicht so gross, als ihn » uns die Päpste machen. In Welschland fürchten auch » Herren und Fürsten und Städte, die doch unter dem Papste » gelegen sind, den Bann ausser Recht gar nicht weiter und » man hält in Welschland nichts mehr vom Papste, als » insofern er es mit ihnen wohl will und anders nicht. Nur » wir armen Deutschen lassen uns noch dünken, dass er ein » irdischer Gott sey; besser wir liessen uns dünken, » dass er ein irdischer Teufel wäre, als er fürwahr auch » ist." Alia exempla alio eiusdem periculi loco citantur. Reliqua autem loca, in quibus suam de Pontificibus sententiam interponit Machiavellus, occurrunt Ist. Fior. Lib. III. p. 379. p. 380. Lib. VII. p. 282.

(1) Sic Rinaldum de Albizzorum gente, et Soderinum, Petri Medicei inimicum, Lib. V et VII passim laudat.

(2) Lib. III. passim.

rationem graviter inculpat, quam inierant, cum ab exsilio Cosmus rediisset (1), et Petri, filii ejus, factio adversarios superasset (2). Quin etiam verba, quae Joannes, Cosmi parens, singulari virtute civis, moribundus ad filios pronuntiasse dicitur, non sine causa narrationi inseruisse videtur, ut significaret, omnia, quae domui eorum acerba evenissent, inde originem duxisse, quod sese intra boni ac modesti civis officia haud continuissent (3).

Singulis fere libris elegantissima prooemia praemissa sunt; in quibus modo de coloniis agitur, earumque vi in incolarum frequentiam, agrorum culturam et aëris salubritatem (4); modo factiones adumbrantur, rebus publicis, quadam veluti fati necessitate, inhaerentes, et varii effectus exponuntur, qui inde ad Romam et Florentiam redundarunt (5): modo de naturalibus civitatium conversionibus (6), de

(1) Lib. V. p. 80.

(2) L. VII. p. 280, 283. » In modo si governavano, » che pareva che Dio e la fortuna avesse data loro quella » città in preda."

(3) Cf. lib. IV. p. 29 sq. Saepe enim hisce orationibus usus videtur, ut suam ipse sententiam proferret: quod Pontifici in libri dedicatione haud obscure significavit, dicens: » Quanto io sia discosto dalle adulazioni, si conosce in » tutte le parti della mia istoria, e massimamente nelle » concioni e ne' ragionamenti privati, così retti come obli» qui, i quali con le sentenze e con l'ordine il decoro » dell' umore di quella persona che parla, senza alcun ri» serbo mantengono."

(4) Lib. II. init.

(5) Lib. III. init.

(6) Lib. IV. init.

de neglectâ disciplinâ militari (1), de diversâ, quâ victoriis uti solebant Romani et Florentini, ratione (2), de Florentiâ, feraci non libertatis, sed dissensionum matre (3), ita disputatur, ut cuncta Machiavelli scripta, quae adhuc recensuimus, ab eodem auctore eâdem mente condita esse, jam facile suspicemur. Quod in primis quoque orationes confirmant, quae eam gravitatem, eumque purum et excelsum spirant libertatis virtutisque amorem, qui in optimis quibusque Graecae ac Romanae eloquentiae speciminibus maxime elucet. Veluti, cum nonnulli ex civitatis principibus ducem Gualtherum, rei publicae caput vel potius crudelissimum tyrannum, compellant, et a nefariis consiliis abripere, sed frustra, conantur (4): aut cum, universâ urbe dissidiis inter Albizzios et Riccios distractâ, patriae amantissimi cives rectores suos, ut concordiam restituant, obtestantur, communemque totius Italiae corruptelam deplorant, ex eo ortam, quod privatus quisque commodis suis patriae salutem postponeret, et numquam de libertate, semper de factione vindicandâ esset contentio (5). Quorum multi ea praecepta profitentur, ut sub eorum personâ ipsum Machiavellum verba facere tuto efficias.

Significare ita studuimus, ceteris Machiavelli scrip-tis

(1) Lib. V. init. (2) Lib. VI. init.
(3) Lib. VII. init. (4) Lib. II. p. 338 sqq.
(5) Lib. III. p. 371 sqq.

tis arctissimo illud opus vinculo cohaerere, et egregia ad universam eius doctrinam intelligendam subsidia continere. Etenim eo consilio a politico viro conditum fuit, ut civilis sapientiae fructus quam uberrimos proferret, et Florentini cives discerent morborum, qui civitatem suam premerent, naturam, causas et remedia cognoscere. De historicis Machiavelli dotibus fuerunt, qui non praeclare existimarent (1). A quibus ita dissentio, ut, quamvis in singulis rebus gestis, praesertim antiquiorum temporum, enarrandis et dijudicandis non uno loco illam ἀκρίβειαν desiderari, quae hodie praecipua historici dos multo censetur magis quam est, facile concedam; tam admirabili tamen et inimitabili adeo arte cuncta disposita et illustrata esse contendam, ut Machiavellum, qui primum inde a renatis literis civilis historiae conscribendae exemplum dederit, optimum quoque dedisse, affirmare nihil dubitem. Sed latius haec exponere nec cum nostro scribendi proposito convenit, et peculiare opus requirit.

Literis praeterea mandavit vitam Castruccii Castracani: quam quonam tempore tradiderit, accurate definiri haud potest: quamquam scripsit eam ante annum 1522, cujus initio Ludovicus Alamannius et Zanobius Buondelmontius, quorum nomini libellum inscripsit, rei conjurationis adversus Cardinalem Julium, clandestinâ fugâ sese hujus vindictae subtraxerunt

(1) Cf. v. c. scriptor in horreo Edinburg. saepius laudatus.

runt(1). Castruccius autem ille, cum patriam peregrinâ Guelforum dominatione liberasset, suâ ingenii vi Luc-

(1) ,, Alla questa cospirazione avea dato probabilmente ,, motivo la facile tolleranza dei pubblici discorsi, la ,, forma attuale del governo, o piuttosto la simulazione ,, del Cardinale. Conoscendo egli l'amore dei cittadini per ,, la libertà, la quale era stata spenta colla forza esterna, ,, per viver più sicuro prese a pascergli d'una speranza ,, di volerla restituire, imitando la fortunata simulazione ,, d'Augusto. Ma, ciocchè questo non fece coi Romani, ,, il Cardinale diede tanto peso a siffatta opinione, che ,, tra gli uomini istrutti del governo se ne parlava come ,, d'un evento prossimo, e si disputava, e si scriveva sul- ,, la forma del governo più acconcia alla città." Leo X eadem agitavisse videtur. Hinc Machiavellus et Zanobius Buondelmontius ad eum de rei publicae Florentinae ordinatione emendandâ retulerunt: Juliumque consilia illa maturaturum esse, adeo multi sibi persuasisse videntur, ut Alexander Pazzius totius populi Florentini nomine orationem composuerit, quâ ipsi tam singularis beneficii gratiam referret. ,, Ma il Cardinale reci- ,, tava una farsa, di cui non fù difficile avvedersi a' giovani ,, fiorentini. Probabilmente il trovarsi delusi, e irritati, ,, mosse in questi giovani, che s'adunavano a disputare di ,, materie politiche negli Orti del Rucellai, il pensiero ,, d'ordire una congiura contra la vita del Cardinale, e ,, far colla forza ciocchè non avea quei voluto fare di buon ,, grado. Furono quei giovani il Diacceto Professore di ,, belle lettere, Zanobi Buondelmonti, Luigi Alamanni, ,, illustre poeta, Luigi Alamanni loro amico, che coltiva- ,, va le armi, e le lettere." Haec Pignottius, l. l. p. 48–50, qui reliqua ad hanc conspirationem pertinentia deinde enarrat. Quae vero p. 52 ex Nardio hisce verbis refert: ,, Non andò senza imputazione delle azioni di questi ,, giovani Niccolò Machiavello, *e pe' suoi sentimenti*, *e* ,, *pe' suoi scritti*, *e per l'amicizia con essi*." haec omnia uti vaga sunt, nihilque nominatim indicant, ita ad sum-

Luccae tyrannidem affectavit et victricis factionis consensu adeptus est. Eam sic administravit, ut audaciâ, militarique scientiâ per totam vitam (mortuus autem est A. 1328) Gibellinorum causam strenue ad-
se-

summum significant, Machiavelli scripta *hominum opinione* magnam in horum juvenum animos vim habuisse. Quantopere enim re verâ ab omni patriam vi liberandi studio abhorruerit Machiavellus, cum reliqua eius scripta omnisque vitae ratio declarant, (cff. quae p. 74 monuimus) tum Nerlii testimonium conficit, diserte tradentis, „ juvenes illos nunquam istud consilium inituros fuisse, si „ Machiavelli doctrinam de conjurationibus meminissent." Deinde, quod amicitiam attinet, quae Machiavello cum conjuratis fuit, neque alii multi, cum hisce eodem amicitiae et societatis vinculo conjuncti, in ullam conspirationis suspicionem venerunt, neque ipse Nerlius, probatissimus auctor, et Buondelmontii ceterorumque reorum familiaris. Illi enim cum Machiavello meliorem quidem Florentinis rei publicae disciplinam exoptabant, sed ita de Julio et de ipsa hac libertate existimabant, ut, ipsius Nerlii auctoritate, tradit Sismondius, T. XI. p. 152. » Ils » convenoient, inquit, que de toute sa famille c'étoit Ju» les qui avoit apporté le plus de douceur et de mesure » dans son administration, *et ils préféroient recouvrer » leurs droits par un compromis, plutôt que de les lui » arracher de force.*" In conjuratis vero fuit, qui privatae injuriae magis quam libertatis vindicandae studio ductus res novas moliretur, uti et auctor est Ammiratus, Istor Fior. lib. XXIX, et rationibus confirmat: cujus testimonium sine causa rejicere mihi Pignottius, l. l. videtur. Denique ne levissimum quidem indicium exstat, Julium talia de Machiavello suspicatum esse, quem sensim sensimque magis favore suo prosecutus est. Levia haec lectoribus videantur: sed idcirco in crimine isto diluendo longiores fuimus, quod vagi illi rumores ex male intellectis Machiavelli scriptis et rebus gestis orti multa ad eius vitam pertinentia obscurarunt et conturbarunt.

sereret, totius Etruriae, cujus principatum appetere credebatur, terror esset, et Lucensem civitatem ad summum eveheret gloriae fastigium. Quorumcunque vellet animos vel amore sibi conciliabat vel metu percellebat; continuis inimicorum dolis et conjurationibus petitus, omnes perfidiâ superabat et crudelitate. Omnino is erat, ut, quoniam ita ferebant tempora, nullius manu libertas honestius periret. (1).

Talem Castruccii imaginem uti nobis historici adumbraverunt, ita in opusculo suo expressit Machiavellus. Qui tamen viri vitam et res gestas sic exposuit, ut narrationem ejus fere contra historiae fidem factam reperiamus: cum alia ficta prorsus sint ab auctore, alia, quo pertinent maxime quae in libri fine occurrunt Castruccii dicta, aliis, praesertim antiquis scriptoribus, debeantur. Mirum igitur non est, Interpretes hoc Machiavelli opusculum, si cum reliquis ejus politicis scriptis compararetur (quamquam ipsa comparatio iis iniquior videretur) sed tamen si compararetur, auctore plane indignum censuisse. Idem vero illud diligenti Machiavelli lectori neque a reliquorum ejus operum indole abhorrere, et libello *del Principe* in primis convenire apparebit. Uti enim aliis scriptis suis aliud spectavit,

ita

(1) Sunt verba Beverini in Annalib. Luccens. Lib. VI, p. 742, apud Sismondium, T. IV. p. 59. Cf. de Castruccii vitâ et rebus gestis Nicolaus Tigrinus apud Muratorium, Vol. XI p. 1316 sqq. Sismondius, Vol. III. Cap. XXIV. et XXVIII, Vol. IV. Cap. XXX, et Oeuvres de Machiavel, Vol. XII. p. 102–106.

ita in hoc, Castruccii nomine, rebus gestis et opportunitatibus potissimum usus esse videtur, ut lectoribus proponeret virum, qui, nullâ fere re, nisi quodam fortunae beneficio et ingenii sui facultatibus adjutus, in Italiae civitate, a parvis initiis et privata conditione, sese ad tyrannidem eveheret, eamque et benevolentiâ, prudentiâ, severitate, reverentiâque sui retineret, et vero egregiâ bellicâ virtute atque disciplinâ, iis omnino artibus, amplificaret, quas Machiavellus cum in suo Principe postulavit, tum in ceteris fere illis, qui ipsius aetate regnarunt, desideravit.

Uti autem supra literarum cum Vettorio commercium auctoris nostri indolem ac res gestas per omne hoc tempus egregie illustravit, ita nobis servatae sunt nonnullae Guicciardini et Machiavelli epistolae, e quibus de postremo ejus vitae tempore multa discimus. Prorsus idem in hisce, atque in superioribus illis, adparet: ingenio, nullâ non occasione, ad facetias promto: ad mortem usque familiaribus propter facilitatem morumque levitatem carus (1); in publicis negotiis agitandis gravis, alacer, sollers. Diu ipsi nihil magis cordi fuit, quam ut Guicciardinus fabulam, ab ipso scriptam, ederet et Mutinae agi curaret. Nam animadvertendum hic est, Machiavellum cum Cardinali Bibiena et Ariosto, inde a renatis literis, primas fabulas docuisse. Quarum illa, quae *Mandragola* dicitur, omnibus idoneis harum rerum existimato-

(1) Cf. in primis Epist. LVIII.

toribus adeo omni aevo salibus, lepore, arte excellere visa est, ut uno ore principem Machiavello locum inter Italicae comoediae scriptores adsignaverint. Comici vero dotes pluribus exponere ad nostrum argumentum non pertinet. Juvat tamen, quod ab hoc loco nemo alienum censebit, verbo addere, monachos et clericos auctori perpetuam ad jocandum illudendumque materiam praebuisse (1): et incredibilem quandam licentiam per totam orationem esse diffusam, quae eâ aetate auditorum aures tam parum offendere solebat, ut eruditissimi quique homines, ipse adeo Pontifex, cum tota sua aula, talibus spectaculis maxime adplauserint. Haec tamen et alia (nam eiusdem generis plura reliquit (2)), egregie probant, quan-

(1) Cff. v. c. loci a Bouterweckio et Ginguneo laudd.

(2) Praeter Mandragolam tres alias fabulas scripsit Machiavellus, (Cff. Oper. Vol. VIII, p. 83 sq. p. 235 sq. et Vol. IX p. 1 sq.): Terentii Andriam in Tuscam linguam vertit (Vol. VIII. p. 163 sq.): decennalia composuit, quae jam A. 1504 condita contextam rerum historiam, decem postremis sec. XV annis et initio sec. XVI in Italiâ gestarum, versibus complectuntur: et carmina edidit, cum hic titulis: *dell' Asino d'Oro*, Cappt. VIII; *Capitolo dell' Occasione*, *di Fortuna*, *dell' Ingratitudine*, *dell' Ambizione*, etc. (Cff. Oper. Vol. VIII p. 310–417) in quae sensus suos de vitâ humana, aequalibus suis, imperiorumque ortu et lapsu ita effudit, ut ex iis et ipsum virum et viri doctrinam egregie cognoscamus. Deinde elegantissimâ narratione exposuit fata Belphegoris diaboli, qui per decem annos hanc terram incoluit, ut damnatorum querelas, uxoribus suis omnia sua mala ac vitia tribuentium, ipse inquireret. Imitatus eum est Fontanius, *Contes* T. I. p. 155 sq. Ed. Stereot. Didot. Paris. 1818. Ut reliqua ejus scripta verbo

quanta eius esset ingenii agilitas, quamque rara in uno homine rerum prope dissociabilium conspiratio. Quodsi quae animi laxandi causâ scripsit cum gravioribus ejus laboribus conferas, idem tibi accidit, atque epistolas eius ad familiares legenti. Vides enim, eum saepius quidem liberrimis jocis indulgere, neque a vilibus iis rebus abstinere, quae aetatem illam macularunt, mox vero gravissima quaeque summâ cum dignitate et auctoritate persequi et ad veram gloriam*), quae non nisi bonis facinoribus paratur, inflammari: rectamque eius naturam perpetuo vincere. Proprium autem habent ad Guicciardinum epistolae, quod nobis Machiavellum referunt, rursus negotiis publicis domi militiaeque implicatum. Quamquam multum abest, ut posteriores legationes priores splendore aequaverint. Nam primae a Mutinae praefecto literae datae sunt, mense Maji A. 1521, cum Machiavellus Carpii versaretur, a Cardinali et rei publicae rectoribus missus, qui fratribus minoribus de agro ipsorum Florentino a reliquâ Tusciâ

se-

bo hic memoremus, Vol X, inde a pag. 364-387; de quaestione disserit, utrum lingua, quâ Dantius, Boccacius et Petrarca scripserunt, Italica dicenda sit, an vero Tusca aut Florentina? Adolescentulus, ut videtur, dialogum *de irâ* scripsit. Cf Vol. I. p. 188 sq. Denique varia, quae vel voluptatis causâ lusit, vel quae ad historiam aut civilem prudentiam pertinent, continentur Vol. I. p. 170-252: Vol. IX p. 300-438. Multae, quod sane dolendum, eius epistolae adhuc ineditae cum Florentiae in privatâ Salvii bibliothecâ, tum in publicâ Corcyrae Academia adservantur. Cf. *Revue Encyclop.* a. 1829. Vol. I. p. 406 *in not.*

separandi persuaderet. Praeterea Consules artificum lanae (1) ipsi mandaverant, ut fratrum illorum aliquem, qui proximo jejunio in primario Florentiae templo divina oracula interpretaretur, invitaret. Hanc igitur missionis obscuritatem illustrare student ambo jucundâ veteris amplitudinis recordatione (2), et innumeris jocis, quibus Machiavelli hospitem, de eo ejusque legatione nescio quid suspicantem, ludificari student (3). Juvenili prorsus hilaritate hisce facetiis indulgent: ut cavendum sit, ne Italorum festivitatem severitate nostrâ metiamur. Ab 19 autem die mensis Maji A. 1521 usque ad 25 mensis Julii diem A. 1525 unum tantum literarum fragmentum invenimus, quo amico renuntiat Machiavellus, se in historiâ Florentinâ conscribendâ versari. Eodem anno a Consulibus, quos modo memoravimus, ad Venetos missus est, questum de injuriis, tribus adolescentibus, mercatoribus Flo-

(1) Cf. de hoc magistratu, ubi universe de collegiis, quae tantam in civitatis Florentinae ordinationem vim habuerunt, Machiav. Istor. Fior. Lib. III p. 595 sqq. » Di tutte le » Arti che aveva ed ha più di questi sottoposti [erant enim opificia vel majora vel minora, quorum haec propriis collegiis carebant, sed majoribus, ratione cujusdam adfinitatis habita, adjungebantur] e era ed è quella della lana, la quale per essere potentissima, e la prima per autorità di tutte, coll' industria sua la maggior parte della plebe e popolo minuto pasceva ed pasce." In primis vero consulendus est Neumannus in praefat. ad Aretini librum περὶ τῆς τῶν Φλωρεντινῶν πολιτείας Francof. ad Moen. 1822. p. sq. qui horum institutorum in Italiâ et Germania originem accurate adumbrat.

(2) Cf. Epist. L. (3) Cf. Epist. XLIX, LI, LII.

Florentinis, a magistro navis Veneto illatis: dumque ibi otia degebat, censorum, qui *accoppiatori* apud Florentinos dicebantur, conniventiâ, rursus optimo jure civis factus est, quo, inde ab A. 1512, privatus fuerat: ibique satis magna pecuniae vis ipsi sorte publicâ evenisse videtur (1). Mox vero renovata inter Imperatorem Carolum et Franciscum Regem bella, quae totam Italiam trepidatione ac formidine impleverunt, animum eius ab remissione ludoque ad omnem curarum cogitationumque intentionem avocaverunt. Quae quoniam cum ultimis eius fatis prorsus cohaerent, epistolis eius haud parum illustrantur et clarissimum eius vigilantiae specimen praebent, diligentius nobis considerandа videntur.

CAPUT IV.

Italiae res ab A. 1515—1527.

Julius II, A. 1512, Helvetiorum ope, Gallos quidem Italiâ exterminaverat: nequaquam vero barbarorum eam servitute liberare potuerat. Hoc enim

(1) Cf. in primis Epist. LVIII. Notandi cives, qui tum *admoniti* dicebantur, moris originem refert Machiav. Ist. Fior. Lib. III. p. 369. Repetendus est a Gibellinorum Guelforumque factionibus. » Da questo nacque, inquit, » che dipoi tutti quelli che in Firenze sono privi di potere esercitare i magistrati, si chiamano Ammoniti." *Accoppiatori* erant praepositi urnis, eorum civium, qui honores obtinendi jus haberent, nomina servantibus. Modum autem magistratus creandi accurate et breviter refert Aretinus, l. l. p. 76-84.

enim agitantem mors occupavit. Num, si diutius vixisset, ardentissimi voti sui compos factus fuisset, merito dubitatur: illud certum est, Leone X Pontifice, omnia magis magisque ad Hispanorum arbitrium composita et gesta fuisse, qui tandem soli, omnium illarum regionum, quas Caroli VIII, Ludovici XII et Francisci I ambitio appetiverat, domini evaserunt. Quod tamen non nisi post saepius iterata bella accidit. Tanto enim amissi Mediolanensis imperii recuperandi desiderio ferebatur Ludovicus XII, ut, brevi post ejectionem suam, rursus et cum Venetis, eadem cupientibus, sese conjungeret, et, invito Pontifice Leone X, Alpes superaret: initio prospere omnibus ei cedentibus, propter ingens, quo Mediolanenses flagrabant adversus Helvetios, Hispanos et ducem Maximilianum Sfortiam, odium. Mox vero tantâ Gallos clade, prope Novaram, Helvetii affecerunt, ut et Venetorum dux intra rei publicae territorium cohibitus sit, et Ludovici res, per reliquam eius vitam, in Italiâ jacuerint prorsus.

Majorem vero alacritatem ostendit Franciscus I, qui A. 1515 Ludovico XII succedens, nihil ardentius cogitavit, quam sui Gallorumque honoris vindicandi priorumque calamitatum memoriae delendae causâ, denuo Italiam invadere. Uti enim Caesar, animadversâ apud Herculis templum magni Alexandri imagine, ingemuit, quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihildum à se memorabile actum esset in aetate, quâ jam Alexander

der orbem terrarum subegisset (1), ita Franciscus victorias ad Bresciam et Ravennam reportatas auribus et cogitatione hauriens illacrymasse dicitur, quod futuram suam gloriam ab equite illo, Gastone Foisséio, praereptam sibi et occupatam putaret (2). Neque profecto imparem se Gastoni aemulum praebuit. Nam tum alia gessit, tum ad Marinianum flumen Helvetios, quamvis numerosissimos (nunquam enim tot tantasque copias in Italiâ aut Galli aut foederati coegerant) et fortiter pugnantes, fudit: unde universâ regione, praeter arcem Mediolani et Cremonae, potitus est. Itaque illam civitatem non ante intravit, quam arx ipsi tradita fuit. Franciae enim Rege indignum pronuntiavit, urbem ingredi, pro parte tantum ipsi parentem (3). Veneti regis partes amplexi erant: Leo X Helvetiis, Hispanis et Maximiliano se junxerat, sed, post hanc pugnam, pacem cum victore inire properavit: cum de ceteris suis possessionibus metuens, tum de Florentinae rei publicae, quae per tot annos a Gallis steterat, tranquillitate. Franciscus vero, postquam Helvetios adeo socios sibi adsciverat, in patriam rediit, magnos sibi spiritus sumens; et non nisi Fer-

(1) Sunt verba Suetonii, in Caesare, cap. VII.

(2) Roscoius, Vol. II. p. 204.

(3) Sismond. Vol. XI. p. 69, qui vere addit: „ Ces » notions bizarres sur ce qu'il appeloit l'honneur de sa » couronne, lui firent plus tard commettre de grandes fau» tes, et eurent une influence fatale sur toute sa des» tinée."

Ferdinandi mortem exspectans, ut ad Neapolitanum regnum expugnandum se adcingeret. Hujus vero decessus, qui mense Jan. A. 1516 iam locum habuit, non bellum, sed pacem attulit. Caroli enim et Francisci praeceptorum prudentiâ Novioduni foedus factum est, cui Maximilianus quoque accessit: quo omnes peregrini principes, qui inde ab A. 1494 Italiam dilaceraverant, inter sese et cum hujus regionis civitatibus conciliati sunt (1). Hae vero quo minus majores tranquillitatis fructus ex hac pacis constitutione caperent, insatiabilis Leonis cupiditas impediebat, Romani imperii fines prolatandi et nova agnatis suis regna condendi gratiâ, nil non turbantis. In Italia igitur cuncta turbida manebant: et sensim ita rationes Carolum inter et Franciscum mutatae sunt, ut pactum, quod perpetuum appellaverant, A. 1521 jam corruerit. Ille enim, imperatoriam nactus dignitatem, et juribus auctus, quae haec in ipsum conferre videbatur, adversarii cum invidiam (*invidit* enim Galliae Rex *praelato honori*) tum increscentis nimium potentiae metum excitavit. Ad bellum ventum est: primum in Navar-

(1) Cf. Robertsoni *History of the reign of the Emperor Charles* V. Book I. p. 37. (Oper. Vol. V. Ed. Lond. 1824. formâ 8va min.) „Europe enjoyed a few years „ of universal tranquillity, and was indebted for that bles- „ sing to two princes, whose rivalship and ambition kept „ it in perpetual discord and agitation during the remainder „ of their reigns."

varià et Castellâ, deinde in Belgio: sed omnium maxime in Italiâ. Imperatoris causam amplexi sunt Angliae Rex, Henricus VIII, totus a Wolseii avaritiâ et ambitione pendens, et Leo X, qui non tantum bellum non antevertere studuit, sed, perfidâ admodum ratione, simul cum utroque hoste clam de societate ineundâ egerat (1). Franciscum Veneti et Helvetii adjuverunt. Sed infelicissime res a Gallis gestae sunt: eodem enim anno Mediolani urbs ab Hispanis recepta est (cujus victoriae nuntius tanto Leonem gaudio affecisse dicitur, ut mortis causa exstiterit) et proximo jam, Franci Italiâ pulsi sunt, ubi nihil, ne Genuâ quidem exceptâ, praeter unam Cremonae arcem in potestate suâ retinuerunt.

A. 1523, novo ardore eadem molitus Franciscus, eandem fortunam expertus est sibi adversam: cumque Bonnivetus devicti exercitûs reliquias in patriam deduceret, Rex tum possessionibus, tum sociis suis omnibus in Italiâ privatus erat. Sed ne hoc quidem Caesari satisfecit, opibus et victoriis elato. Itaque ipsum aemuli regnum invadit: dissuadentibus tum ministris optimis, tum Clemente VII, qui, mortuo Adriano VI A. 1523, sacram sedem occupavit: tantâ vero Gallorum fortitudine ac consilio excipitur, ut cum ignominiâ Italiam petere cogatur. Ibi Franciscus, egregiis copiis instructus, et fractum adversarium confi-cien-

(1) Cf. omnino Robertsonus, Lib. II. p. 123-125.

ciendi peropportunum tempus ratus, breviori via eum praevenire conatur: non magis quam Carolus consiliarios suos aut matrem, prudentissimam foeminam, audiens, expeditionem hancce, illa tempestate, cum exercitu, maxime Germanis et Helvetiis, dubiae fidei copiis, constante, vehementer dehortantes. Verum nescio quâ fati necessitate evenit, ut, qui regnum suum semper ab Hispanorum et Anglorum impetu egregie vindicavit, in Italiâ nunquam fere cum adversarii copiis arma contulerit, quin ipsis succubuerit totus. In praelio enim prope Papiam commisso non modo Gallicus exercitus profligatus est, tantaque praeda facta, ut nunquam ditiores milites in Italiâ fuerint (1), sed plerique etiam ducum nobiliumque aut caesi aut capti sunt, et ipse adeo Rex in hostium manus pervenit.

Celebratissima sunt, et per omnem posteritatem celebranda, quae, post infelicem pugnae exitum, Rex ad matrem scripsit verba: „Cuncta amissa sunt, praeter honorem." Cujus sensum ita colebat, ut, illo servato, reliqua, quamvis intolerabilia fere, facile toleraturus videretur. Foedus tamen Madritanum, quo sese variis modis, pro libertate sibi concedendâ, Carolo obstrinxit, redux in Galliâ, violare properavit: imo mente violaverat jam, cum ei adcederet (2). Itaque, antu-

mas-

(1) Sunt verba Guicciardini, l. l. Lib. XV in fine.

(2) Robertson. l. l. Lib. IV p. 257.

masse eum, se tali perfidiâ, nihil quod *honori* magnopere contrarium esset, perpetrasse, suspicari licet. Operae pretium est, ut aequalium opiniones de fide servandâ et honestate utilitati praeferendâ melius cognoscamus, Machiavellum audire, in epistolis ad familiares, Guicciardinum maxime, de Regis captivitate et ulterioribus consiliis disputantem. Ille igitur nullam causam videt, cur Imperator Regem in libertatem restituat: nisi ejus consiliarii Gallorum auro (qui ea in re excellunt plane) corrumpantur, aut ipse, videns arctam Italiae et Galliae conjunctionem, victum aemulum ea conditione liberet, ut hanc dissolvat (1). „ Rex, ait, a sua parte „ lubenter omnia promittet: et, si sapere velit, Carolum ad ineptum consilium pelliciet: sed nolit quis „ credere, eum sapere velle. Causa hujus rei „ est, quod ad hunc usque diem semper intellexi, quaecunque Imperator capiat perversa consilia, haec nunquam ei nocere; quaecumque vero „ Rex inierit, nunquam ipsi profuisse. Stulte, „ uti jam monuimus, aget Imperator, si Regem „ dimittat: prudenter Rex, si quidvis spondeat, „ modo liber evadat: et tamen, *quoniam Franciscus promissa servaturus est*, regis causa pessima, Imperatoris optima fiet" (2).

Ea-

(1) Ignoravit Machiavellus, quod scire eo tempore non potuit, Galliae regem regno sese abdicare voluisse, eumque renuntiationis actum jam subsignasse. Qua re Caesaris voluntas prorsus mutata est. Cf. Robertsonus, l. l. p. 235.

(2) Cf. Epist. LXVI. Servabit autem foedus Rex propter fi-

Eadem ad Philippum Strozzium perscripserat, qui hanc Pontificis de Francisci consiliis sententiam ad Machiavellum rescribit: „ neminem omnino „ esse, qui nesciat, quo modo Rex, simulac liberatus sit, agere debeat, si recte agere velit: sed „ *levitatis* famam, quâ utatur, facere, ut vehementer metuant, *ne*, *primo saltem tempore*, *pactioni fideliter Rex inhaereat*, quo sane nihil Italiae et Pontificis commodis funestius cogitari posse perhibet" (1).

Pauca haec verba opiniones, quae illâ aetate viguerunt, declarant. Praesenti utilitati cuncta postponebantur: neque amplius miramur, Clementem VII, brevi post, Franciscum jurejurando absolvisse, quo Madritanum foedus sanciverat (2). Italiae nempe civitates, post pugnam Papianam, terrore repletae sunt. Viderunt, Carolum *rerum dominum* evadere velle (3) aut potius jam esse: cum Imperatoris titulo ac juribus Neapolitanum regnum

filios obsides. » Quando non l'osservi convienegli affaticare il » regno, che è affaticato; affaticare i Baroni e mandargli in » Italia: bisognali tornare subito ne' travagli, i quali per gli » esempli passati lo hanno a spaventare, e perchè ha egli » a fare queste cose per ajutare la Chiesa e i Viniziani, » che lo hanno ajutato rovinare." — „ Io vi dico quello » che io credo che sia, ma io non vi dico già, che per il » Re e' fosse più savio partito, perchè e' doverebbe » mettere di nuovo a pericolo sè, i figliuoli, ed il regno » per abbassare sì odiosa, paurosa, e pericolosa potenza."

(1) Cf. Epist. LXV.

(2) Cf. Robertson. l. l. p. 251.

(3) Epist. LXIII.

num et universum Mediolanense imperium jungeret, et Genua ei pareret. Itaque, quo tandem modo tantae moli resistant, deliberant: sed, more suo, magnâ sollicitudine, exiguâ concordiâ, nullo ardore. Itaque popularium indolentiam et ignaviam indignatur Machiavellus, nihilque honorificum aut laudabile ab iis exspectat (1): captivoque adhuc Galliae rege, Italiam rursus, quidquid eveniret, bello conflagraturam esse praevidet: nihil tamen, ne in summis quidem angustiis, de patriae salute desperans, modo sibi bene prospiciant cives. Gallia in belli societatem trahenda est. Quod si hoc non succedat, duae tantum viae patent. „Aut enim, inquit, primo cuique, gremio „ auro repleto, occurrendum est, ut nos redimamus: „ aut fortiter resistendum. Prius autem remedium „ nihil valet: quoniam, aut coecus prorsus sum, „ aut pecuniam primum, deinde vitam nobis au„ ferent. Itaque quantocius ad arma recurren„ dum: nec Galliae decreta exspectanda sunt" (2).

Paucis autem post missas has literas diebus, se voti sui compotem factum iri, quodammodo ex-

(1) » Concludo, che della banda di qua non si sia per » far mai cosa onorevole o gagliarda da campare o morire » giustificato; tanta paura veggo in questi cittadini, e tan» to male volti a fare alcuna opposizione a chi sia per » inghiottire, nè ce ne veggo uno discrepante, in modo » che chi ha fare consigliandosi con loro, non farà altro » che quello si è fatto fino a qui. Epistola LXI."

(2) Epist. LXIV.

exspectare potuit. Vix enim adeptus libertatem, Franciae rex cum Clemente VII, Venetis, et Sfortia novum contra Carolum V foedus init (1), quo socii, nisi Imperator Francisci filios obsides certo redemtionis pretio dimittat, et Sfortiae quietam Mediolanensis imperii administrationem concedat, ad exterminandos Hispanos et Neapolitanum regnum expugnandum obligantur. Sed mox spes eius evanuit. Uti enim sexcenties alias, ita hic rursus videre licuit, quam essent singuli suis unice commodis intenti. Galliae Rex, qui tantas injurias vindicaturus videbatur, pactionis auctoritate maxime, Imperatorem ad mitiores conditiones adducere studuerat: neque vero aut Sfortiae succurrendi, aut Italiae libertatem asserendi cura eum retinuisset, modo servare Burgundiam et filios recipere potuisset (2). Frustra ceteri foederati eius auxilium exspectant: ipsi igitur Mediolani arcem, ab Imperatoris copiis obsidione pressam, liberare tentant: quod tamen tam male iis cessit, ut Caroli dux, Borbonius, totius fere territorii Mediolanensis potiretur (3). Haec autem ignavia tan-

(1) In urbe Cognac die 22 Maji A. 1526. Roberts. p. 250.

(2) Robertson. p. 254.

(3) Cf. Idem p. 255: in primis autem Epistola LXXIV a Machiavello (nam hac de re dubitari nequit) ad amicum scripta. Robertsonus haec habet. » The Milanese, passionately » attached to their unfortunate duke, and no less exas- » perated against the Imperialists, who had oppressed them » so cruelly, *were ready to aid* the confederates in all » their enterprises." Haec vera quidem sunt: non tamen ad-

tantam Machiavello eiusque amicis formidinem iniecit, ut Vettorius nihil Italis obtingere posse felicius exclamaret, quam si Turcas, devictis Hungaris, Vindobonam petere, Lutheri sectatores in Germania superiores esse, et Mauros, quos exstirpare velit Imperator, novas vires sumere, audirent (1). In primis eos levitatis taedet et inconstantiae, quam Pontifex in omni agendi ratione prodebat. Qui, cum temporibus nunquam resisteret, sed semper cederet, Romae repentino Colonnae impetu oppressus est: in quo viro acceptae a Clemente VII iniuriae gentilitium adversus pontifices Romanos odium exasperaverant. Hic autem durissimis legibus, ei ab Hispanorum legato, Moncadâ, impositis, pacem et libertatem accepit. Quas adeo non servavit, ut, simul ac copiae eius, relicto pactionis vi foederatorum exercitu, Romam rediissent, totam Colonnarum gentem devoveret, eorum agros popularetur, castella caperet, et, non sine prosperis successibus, Neapolitanum regnum adoriretur (2). Interim Borbonius, propter militum seditionem omnisque generis inopiam, ulterius progredi cogitur: hostibus tamen dubium relinquens, utrum Romam, Clementis perfidiam vindicaturus, an vero Florentiam peteret (3).

In-

addidit celeberrimus auctor, quod habet Machiavellus, populum, exercitu ad urbem appropinquante, nihil omnino agitasse, et quietum mansisse.

(1) Epist. LXXII.

(2) Vid. Roberts. p. 256 - 258; pag. 260.

(3) Cff. epistolae, quas Machiavellus, ad Guicciardinum le-

Incertus haeret Pontifex, quo se verteret, nescius: tandem omnia metui, nihil vigori concedens, Lannoii arbitrio se totum permittit, cumque eo, qui pro Hispano Rege Neapolitanum regnum administrabat, foedus facit. Quam primum Clementis consilium audiret, ad Vettorium scripsit Machiavellus. „Si illud perficiat, per aliquod tempus „salva res erit: sin vero pacem impetrare nequeat, „ab omnibus destituemur. Guicciardinus, quamdiu „poterit, agrum, curae suae commissum, tuebi„tur: nimis urgenti hosti cedet, cumque omni „manu et pecuniâ urbi nostrae opitulabitur: quam „procul dubio fortiter propugnabit. Nam, quam„vis Imperatoris exercitus ingens ac fortis sit, „nihil omnino obtinebit: modo quisque rem suam „bene agat: et nulla urbs de se reddendâ cogitet: „quod de Romaniae oppidis omnino metuen„dum est. Sed vel sic tamen, nisi nosmet ipsi „prodamus, periculis pares erimus. Pisam enim, „Pistoiam, Florentiam tuentibus non erit difficile „pacis conditiones obtinere, duras quidem, sed „tolerabiles tamen (1)." Accipiens autem quale tandem pactum iniisset Pontifex (2), vehementer in-

legatus, ad Florentinum Senatum misit, passim. (Opere Vol. VII p. 352-418), quae egregie tum Borbonii expeditionem tum foederati exercitûs conditionem illustrant. Quod alii docuerunt, confirmant: sine Clementis socordiâ, et incredibili ducis Urbinensis perfidiâ, omnia salva futura fuisse.

(1) Est argumentum epist. LXXXI.

(2) Cf. Roberts. p. 263.

indignatur. „ Pacis, inquit, semper auctores fui-
„ mus, propter nostram ac sociorum imbecillita-
„ tem et hostium perseverantiam: sed pacem intel-
„ leximus solidam, expressae, non obscurae illius
„ et dubiae interpretationis, quae nos simul et paci
„ et bello prospicere et neutri conditioni satisfacere
„ cogit. Haec nil nisi malum nobis et hostibus
„ bonum pariet. Qui, semper progredientes, serio
„ bellum gerunt, dum nos tum belli tum pacis im-
„ plicant difficultatibus (1)." Biduo post Româ
venit Mottius in Hispanorum castra, qui Borbonium
rogaret, ut ratum haberet ea, quae egerat Lannoius.
„ Crastinus dies, scribit Machiavellus, nobis de-
„ cretorius erit. Si enim probatur foedus, sistet
„ gradum exercitus: si vero spernuntur conditiones,
„ addet. Quo facto, de pace ne cogitabimus quidem:
„ sed nil nisi bellum spirabimus. Vobis quoque,
„ Romae degentibus, non vacillandum amplius aut
„ claudicandum est: sed firme hostium impetus
„ sustinendus, et una cum sociis armorum fortuna
„ tentanda erit. Saepe enim omnium rerum de-
„ speratio ea remedia affert, quae sollertia invenire
„ non potuit: appropinquat hostis, sine bellicis
„ tormentis, per asperam admodum viam. Quod
„ nobis virium et vitae reliquum est, illud impen-
„ damus: et persuasum mihi habeo, nos hostes
„ aut expulsuros hisce regionibus, aut ad aequas
„ conditiones coacturos esse (2)."

In

(1) Epist. LXXXII.
(2) Argum. epist. LXXXIII.

In omnibus hisce quam vere viderit sagacissimus rerum humanarum explorator, et posteriorum historicorum testimonium et vero tristissimus diversi consilii exitus declaravit. Nam Borbonius adeo itineris difficultatibus et necessariarum rerum inopiâ laboravit, ut nullam urbem, quae se ipsa defendisset, expugnare, et laxatam in dies militarem disciplinam severitatemque, auctoritate suâ, quamvis permagnâ, vix retinere posset (2). Clemens vero repentino isti pacto confidere maluit, quam adversus eum quidquam moliri. Tandem certior factus, eum, suo jure, exercitui Imperatoris imperantem, et praeter huius sua etiam commoda persequentem, oblatas conditiones respuisse, et copias contra aeternam urbem adducere; subito terrore, sed nimis sero, expergefactus est. Roma enim, quae per tot saecula intacta manserat, capta est, et ab Hispanis, Germanis et ipsis Italis tam misere spoliata et diruta, ut Hunorum, Vandalorum, Gothorumque barbariem crudelitatemque longo post se in-

(1) Cf. Roberts. p. 261 sqq. quae admirabilem continent huiusce expeditionis descriptionem. Varchius (Storia Florentina, Mediolan. 1803 Vol. I. p. 51), refert consilium eorum, qui hostem omni modo velitatione et aditu ad varia loca intercludendo lacessere vellent, exitum habiturum fuisse „ se i consigli e le forze degli uomini contra gli ordina„ menti e disposizioni delle stelle alcuna cosa potessono, „ o più tostò, se ineffabile avarizia e lussuria con tutte „ l'altre nefande scelleratezze e specialmente della corte „ di Roma la tarde ma grave ira di nostro signore Dio a „ giustissima indignazione e vendettà eccitato e commosso „ non avessono."

intervallo reliquerint (1). Captivus Clemens ejusdem Alarconii vigilantiae commissus est, qui Franciscum Regem custodierat.

Ab eo inde tempore omnes conatus Hispanorum opes in Italiâ frangendi, a Gallis et Anglis adhibiti, irriti ceciderunt. Cameracensi foedere, A. 1529 icto, Franciscus Rex omni suo jure in regiones trans Alpes cessit: neque expeditiones eius, postea susceptae, impedire potuerunt, quominus Carolus V, solus peregrinorum, omnia ea retineret, quae ceteri tanto studio persecuti erant (2).

CAPUT V.

Postrema Machiavelli aetas.

Vidimus, Machiavellum, Italiâ rebus adflictis obsessâ, talem sese civem praebuisse, qualem maxime admiraremur. In summis enim angustiis fortis et animosus apparuit: ubique placide, unde Italis prae-

(1) Roberts. p. 267 sq. Varchius l. l. p. 105. „Mai „non fà, inquit, gastigo nè più crudele nè più meritato, e onde meglio comprendere si possa, prima, che „se pure gli Dii non remunerano alcuna volta le buone „opere de' mortali, non perciò lasciano mai impunite le „cattive; e poi, che l'innocenza de' buoni porta talora „le medesime pene e più, che la malvagità de' colpevoli."

(2) Robertson. lib. V. Vol. VI p. 22.

praesidium esset quaerendum, circumspiciens: quod, uti in propria popularium virtute situm esse merito putavit, ita, modo hanc rite exsererent, de patriae salute nunquam desperavit. Neque verbis tantum, sed exemplo ipse suo omni se opera justissimam causam promovere velle comprobavit. Muneris enim ratione gravissimis quibusque negotiis interfuit. Quam primum Clemens VII, A. 1526, de territorii sui urbibus ab hostium irruptione tutandis serio cogitaret, tum aliis, tum Machiavello Florentiam muniendi cura mandata est. Qui summo studio huic officio satisfecit, ut, praeter alia documenta, epistolae eius ad Guicciardinum declarant (1): e quibus efficimus, alacritati eius parem prudentiam accessisse (2). Fuerunt, ut ipse refert (3), qui ei, si con-

(1) Cff. Epp. LXVI, LXVII, LXIX, LXX. „Ho „ il capo sì pieno di baluardi, che non vi è potuto en- „ trare altre cose." Pontificis consilium esse affirmat ita Florentiam muniendi, „ che desse cuoro ad un popolo „ fatto a questo modo." Legantur quoque *Relazione di una visita fatta da Niccolò Machiavelli, per fortificare Firenze;* et *Lettera all' Imbasciatore* (Guicciardinum). Oper. Vol. X. p. 350 — 363.

(2) In multis enim a collegis dissensit, qui civium odium haud evitarunt. Hac de re illud habet Varchius l. l. p. 60. „ S'erano con infinito dispiacere e rammarico di chiunque „ ciò vidde, quasi tutte le torri, le quali a guisa di ghir- „ landa le mura di Firenze intorno incoronavano, rovi- „ nate e gittate a terra; la quale opera con poco pru- „ denza incominciata, e contra il volere dei più discreti „ fu da loro per ostinazione seguita," etc.

(3) „ Qui si è pensato, andando la fortificazione innan- „ zi,

continuaretur munitionis opus, malus quoddam munus delatum iri opinarentur: quod propositum tamen sine exitu fuit. Verum, eodem anno, ab octoviris bello gerundo missus est ad castra apud Guicciardinum, pontificiis copiis imperantem, ut ei miserrimum urbis statum exponeret, quae, copiis, pecuniâ et duce carens, simul et appropinquantem hostem et factionum, omnia intus sollicitantium, insolentiam metueret (1). Initio A. 1527 rursus ad eundem profectus est (2): si magistratuum mandata consulamus, rogatum, ut foederatorum copiis hostem ab urbe arceret: sin Varchium audiamus, ut ipse quotidie, quaecunque de Imperatoris aut Pontificis exercitu scire e republicâ esset, domum referret. Falsissimos enim hisce de rebus rumores per urbem disseminare solebant diversarum partium fautores (3). Hujus autem sententen-

„ zi, che io faccia l'uffizio del Provveditore e del Cancel„ liere, e mi faccia ajutare da un mio figliuolo, e Dani„ ello de' Ricci tenga i danari e le scritture." Ep. LXVII, in fine.

(1) Cf. *Legazione di Niccolò Machiavelli a Francesco Guicciardini*, 30 nov. 1526. Oper. Vol. VII p. 352-362.

(2) l. l. p. 363-418.

(3) Cf. Varchius l. l. p. 58. Gli otto della pratica avevano più per questa, che per altra cagione, in Lombardia nel campo della lega a messer Francesco Guicciardini Niccolò Macchiavelli mandato, acciocchè egli giornalmente avvisare i successi della guerra di quindi potesse; il qual Niccolò, se all' intelligenza, che in lui era de' governi delli stati, ed alla pratica delle cose del mondo avesse la gravità della vita e la sincerità de' costumi aggiunto, si po-

[illegible] inde confirmatur, quod tam diu apud amicum remanserit, et saepissime ea, quae vel audiendo vel videndo percepisset, ad cives rescripserit Machiavellus. Itaque duplex consilium peregit, et usque ad finem mensis Maji A. 1527 reipublicae legatus abfuit (1): neque implicari se passus est iis turbis, quae Florentiam commoverunt; ubi, quum saepius jam coorta seditio esset, Medicei, quam primum captae Romae nuntius ad ipsorum adversarios pervenit, satis honestâ specie urbe educti sunt, et res in eum statum redactae, quo ante A. 1512 fuissent. Verum haec omnia, quae cum Machiavelli existimatione arctissime cohaerent, accuratiore indigent explicatione.

Medicei, A. 1512, Florentiam redeuntes, urbis principatum quidem sibi deferri curarunt, nunquam vero eam apud cives suos auctoritatem adepti sunt, quâ Cosmus et Laurentius usi fuerant. His enim reducibus multa deërant, quibus illi omnium in civitate maxime floruerant: ingenium, opes, popularitas. Obstabant peregrina arma, quae eos ad ampliorem locum evexerant,

potera per mio giudizio più tosto con gli antichi ingegni paragonare, che preferire a' moderni."

(1) Cf. epistola, quam die 22 mens. Maji A. 1527 ex oppido Cività Vecchia dicto, ad Guicciardinum misit. Exstat autem descriptio pestis, quae A. 1527 Florentinum populum invasit, à Machiavello facta: e quá eum Kalendis Maiis in urbe jam adfuisse conjiceres, nisi tam manifesta essent fictionis vestigia, ut de die certo quoque nihil affirmandum videatur.

rant, quam civium voluntas in eorum maiores contulerat; octodecim denique annorum absentia et Florentinos abalienaverat neque perpetuo ipsis contrariam factionem exstinxerat. Initio Julianus lenitate et civili vitae genere multorum sibi animos conciliavit, Mediceique ad summum dignitatis gradum adscensus omnium adeò partium civibus vehementer placuit: quod sese eius honore ornari arbitrabantur, qui Florentinorum primus eum nactus erat (1): ac Leo re verâ urbi omnium bonarum artium laude florentissimae patrocinio suo novam gloriam conciliaturus videbatur. Sed mox a Florentinorum rebus sese magis magisque abstinuit Julianus, quibus apertum fiebat, civitatem sui iuris esse plane cessavisse, contra a Mediceis patrimonii instar haberi. Romae Florentia regebatur: omnibus igitur difficultatibus et bellis immiscere se debebat, quibus Pontificis ambitio sacrae sedis aut domûs suae commoda provehere speraret. Hic enim nihil magis cogitavit, quam ut nova agnatis suis regna conderet. Quorum in primis Laurentius, sensim sensimque principis moribus adsumtis, insolentiâ et importunitate suâ civium odium suscitaverat.

Itaque in hac factionum feracissimâ re publicâ bre-

(2) Cf. Sismond. Vol. XI. p. 7. » Je comprends, disoit » le Génois Lomellini, en voyant les fêtes des Florentins, » que vous autres, qui n'avez encore vu aucun de vos ci» toyens devenir pape, vous pouvez vous réjouir de cette » nouvelle dignité; mais quand vous aurez l'expérience » des Génois, vous saurez quels effets produisent toutes » ces grandeurs des Papes dans les villes libres."

brevi diversae partes viguerunt. Machiavellus, mortuo A. 1519 Laurentio, ad Leonem X de Florentinae civitatis ordinatione reformandâ referens, urbem jam iis abundare professus erat (1): ita ut, nisi praecaveret pontificis providentia, vel levissimo momento omnia collapsura esse praediceret. Leo egregium virum non audiit, sed Cardinalem Julium praefecit civitati. Qui, cum Laurentii agendi rationem publice improbaret, multaque blandimenta libertatis studiosis daret, optima quaeque de eo cives sperare coeperunt (2). Qualis tamen re vera esset, fuerunt, qui jam antea suspicarentur (3), et ipse omnibus palam fecit, cum Pontifex esset creatus. Florentiam enim Hippolyto et Alexandro, liberis spuriis, alteri Juliani, alteri Laurentii, et adolescentibus etiamnunc, commisit: rerumque administrationem dedit Episcopo Gherio Pistoiensi, et Crotonae Cardinali. In quos, cum essent peregrini, superbi, Florentinorumque ingenium ignorarent plane, multorum invidia mox exarsit (4).

Sed

(1) Cff. quae monuimus pag. 107.

(2) Vid. Sismondius, l. l. pag. 114. sq.

(3) Cf. disput. pag. 120 in notâ.

(4) Cf. Varch. p. 15-16. ,, I Palleschi (Mediceorum ,, sectatores) ancora particolarmente si erano commossi, ,, parte perchè non avevano nè quelle utilità trovato nel pa- ,, pato di Clemente, nè quelli onori ricevutine, che eglino ,, ricordandosi della liberalità di Lione s'erano tra se stessi ,, immaginati e presupposti di doverci ritrovare e ricevere, e ,, parte perchè considerando la poca sufficienza e molta ,, arroganza de' ministri del papa, i quali più temere si ,, facevano e più onorare, che 'l papa stesso, mentre ,, era cardinale e la città governava, fatto non aveva; ed ,, avendo ancora in mente quanto stata fosse la differenza

,, tra

Sed cavendum est, ne existimemus, aequalitatis et libertatis studio ductos fuisse, quotquot Mediceis adversarentur. Horum alii alia omnia de re publica constituenda sentiebant. Varchius nobis diversa partium studia ita describit, ut de singularum indole vere judicare possimus (1). Ipsa Mediceorum factio, eo auctore, in duas sectas distincta erat. Pars enim illorum favorem populi amori praetulerant; ideoque invisos se esse sentientes novas injurias continuo faciundas esse putabant, ut veteres tegerent. Alii, Mediceos publicae rei capita esse, volebant quidem: infinitum vero eorum imperium detrectare studebant; neque, ut illi, paucorum dominatum, sed liberiorem omnium optimatium potentiam omnibus votis expetebant. Ad hosce pertinebant Jacobus Salviatius, Franciscus Vettorius, Philippus Strozzius, Ludovicus Guicciardinus, celeberrimi historici frater, quos omnes Machiavello amicissimos fuisse, ex hujus epistolis novimus (2): princeps autem eorum erat Nicolaus Capponius.

Guic-

tra 'l cortese ed umano procedere di Galeotto de' Medici da Firenze ed il superbo e villano di m. Goro Gheri da Pistoia, si sdegnavano con loro medesimi tacitamente, nè potevano a patto alcuno pazientemente „ tollerare, di dovere sempre a coloro come superiori ubbidire, a'quali come a sudditi comandare doverebbono, „ essendo ora da Prato ora da Pistoia ora da Cortona „ e quando da altre terre al dominio loro sottoposte mandato dai Medici chi reggere e commandare gli dovesse." Cf. Segnii Stor. Fior. Lib. I. p. 15.

(1) l. l. p. 17-19.

(2) Is enim, si alicuius partis fuerit, qui omnes partes pu- bli-

Hi igitur, quoniam nec Mediceorum tyrannidi favere nec prorsus populare regimen improbare videbantur, minus quam illi, in plebis odium et adversariae Mediceis factionis invidiam pervenerant. Nam haec quoque duabus partibus constabat. Multi enim ex iis, qui illos omnino civitate pellendos esse censerent, magis Mediceis inimici, quam libertati et rei publicae amici erant: nonnulli hasce amabant magis, quam illos odio habebant. Denique, uti in aliis, v. c. in Soderino, utraque studia veluti conspirabant, ita in plurimis deficiebant: qui, propriam tantum utilitatem sectantes, ad proximum quemque victorem sese applicare parati erant.

Quamquam autem inquieta tantis turbis esset urbs, nemo tamen fuit, teste Varchio, quin commodo suo et periculo aut praesentis servitutis metum aut futurae libertatis dulcedinem postponeret (1). Proxima vero tempora eos ad arma impulerunt. Borbonii enim expeditione, Pontificisque socordiâ, incuriâ, perfidiâ, factum est, ut seditiosi in urbe, quae annonae caritate, peste et tributorum acerbitate oppressa erat, consilia sua perficiendi et causam probabilem et facilem opportunitatem invenirent (2). Primum vero civium impetum militum vis

blicae rei morbos esse pronuntiabat, cum illis viris eadem de civitatis Florentinae commodis sensisse dicendus est.

(1) l. l. p. 19.

(2) De tributis cf. Guicciardinus, l. l. Lib. XVIII, p. 668. ,, Magnum in Mediceum nomen odium, cum multas alias ob causas, tum quod bella ab illis coepta ,, mag-

stis, retudit, propriaque illorum ignavia irritum prorsus fecit (1). Vix vero Romam expugnatam et Clementem captivum esse audiverunt, quin, nullâ fere sanguinis effusione factâ, et liberâ ex urbe profectione Mediceis concessâ, sese in libertatem restituerent, quam diu non servarunt. (2).

Facta fuit haec rerum commutatio, auctoribus potissimum Nicolao Capponio et Philippo Strozzio in optimatium favorem. Quorum consilia, etsi forte haud improbaverit Machiavellus, ipsum tamen aliquo modo adjuvisse, a nemine traditur, et nullo omnino documento indicatur. Vel apud Guicciardinum, fidelem illum Pontificis ministrum, vel in aliis locis rei publicae causâ aberat: non cogitans, quomodo a Mediceorum tyrannide Florentiam, sed qui Italiam a barbaris, aut patriam ab interitu liberaret. Indefessum eius studium aliis persuadendi, aut honestam pacem faciundam, aut jus-

„ magna ex parte propriis sumtibus sustinere coacti fuissent. Certum enim est, Florentinos ultra quinque millia auri pondo in Urbinati imperio tum occupando tum etiam tuendo insumsisse, tantundemque in bello a Leone contra Galliae regem incepto: in iis autem, quae eius obitum sunt consequuta, quae quidem ex eodem bello ortum habuere, auri pondo tria millia insumserunt, quae partim ad Caesarianos duces ante Clementis pontificatum, partim ad proregem Lannoium pervenerunt: hoc denique in Caesarem bello auri plus quam sex millia pondo profuderunt:" cll. Sismond. Vol. XI, p. 534.

(1) Varchius, l. l. p. 75-92. (2) Idem, lib. III.

justum bellum gerendum esse, e singulis eius epistolis conspicitur. Illis vero neutrum consilium placuit. Non autem nisi ultimis mensis Maji diebus in urbem rediit: et per tam breve tempus Mediceorum exsilii superstes fuit, ut secundus et vicesimus mensis Junii dies supremus ei exstiterit.

Mors eius medicinae tribuitur, quam et ipse capitis et ventris doloribus adhibere, et aliis commendare solebat (1). Erant, Varchii aetate, qui eam adscriberent frustratae spei, quam cepisset illud recuperandi muneris, quod ante annum 1512 gessisset, sibique nunc civium odio praereptum vidisset. Sed operae pretium est, ipsum historicum audire, cuius verba latine huc fere redeunt. „ Cum Donatus Giannottius, inquit, „ loco Francisci Tarugii demortui rei publicae Graphiarius creatus esset, haec res et inexspectata „ multis fuit, et vero (ut hodie adhuc fertur et „ creditur) Nicolao Machiavello, rerum Florentinarum scriptori, haud levis causa mortis exstitit. Hic enim, una cum Francisco Guicciardino a militia redux, omni opera usus est, ut „ pristinum munus rursus obtineret: qua in re „ cum sibi, quamvis ab amicissimis suis Ludovico Alamannio et Zanobio Buondelmontio valde „ adjuto, Giannottium praelatum animadverteret, „ civiumque in se odium experiretur, tanto ipse „ do-

(1) Cf. epistola filii Machiavelli, patris mortem Francisco Nellio nuntiantis in *Histoire de Mach.* p. 269; et *Epist. ad famil.* LVII. in fine.

„ dolore oppressus est, ut brevi post aegrotave-
„ rit et mortuus sit. Giannottio enim se in tali
„ officio multo superiorem credebat: quamquam
„ ipse potius non expers literarum, quam litera-
„ tus dici mereretur (1). Vehemens autem om-
„ nium civium in Machiavellum odium tribuendum
„ erat tum licentiae, quâ in dicendo et loquendo
„ utebatur, tum vitae eius parum honestae et de-
„ co-

(1) Ex hac animadversione rursus efficimus, quod jam initio operis p. 21. significavimus, quanta ab literarum studio commendatio iis accederet, qui ad summos rei publicae Florentinae honores contenderent. Mirum autem videatur, exiguam hanc literarum scientiam Machiavello perhiberi, in cuius operibus omnibus tanta antiquitatis, Romanae certe, non reverentia solum sed etiam cognitio cernitur. Sed reputandum est, eius aetate ferbuisse plane Italiam doctis hominibus, utriusque linguae studio incensis, plurimosque eorum egregie Latine ac Graece scripsisse, quod non fecit Machiavellus, cujus latinarum peritia literarum constat, Graecarum non item: eius denique in pari antiquitatis amore longe dispar consilium fuisse ac reliquorum, qui, suae aetatis parum memores, sese totos cogitatione in antiquum aevum traducere solebant. Ipse vero, uti linguae latinae scientiâ utebatur, non ut elegantiâ proxime ab antiquorum perfectione abesse censeretur, sed ut patriae linguae incomparabilem et gratiam et dignitatem conciliaret, ita quoque antiquarum studium civitatium ad Italicarum rerum publicarum instituta emendanda adhibebat. Itaque, si accurata eius doctrina cum immensâ multorum aequalium eruditione comparetur, potius non expers literarum, quam literatus fuisse videtur: simili fere significatione ac Montesquivius, qui, si recentiorum optime, post Machiavellum, veram reipublicae Romanae rite cognoscendae viam iniisse censetur, ipsâ Romanorum linguae, juris et literarum cognitione a multis sane superatus est.

„ corae, tum maxime opusculo eius *del Principe*, „ quod Laurentio Mediceo, Petri filio, Laurentii „ nepoti, dedicavit, ut hic infinito in Florentinam „ civitatem imperio potiri posset (*acciocchè* „ *egli signore assoluto di Firenze si facesse*). Hoc „ enim libello, impio sane, et digno, qui non „ solum vituperetur, sed deleatur etiam, (ut „ ipse auctor, post rerum conversionem, A. „ 1527, cum nondum esset typis mandatus, „ facere studuit) optimum modum aufetendi pe- „ cuniam divitibus, honorem pauperibus, liberta- „ tem utrisque, alios docere voluisse videbatur. „ Unde ipsius morte, quod nunquam forte rursus „ eveniet, probi aeque atque improbi gavisi sunt: „ quorum illi Machiavellum malum hominem, hi „ non solum se pejorem, sed sapientiorem etiam „ et callidiorem habuerunt (1). Idem tamen erat „ in

(1) Ea Varchianae narrationis pars, quam hucusque retulimus, fluxit ex epistolâ quâdam Busini, ad ipsum 23 Jan. A. 1549 scriptâ: ut sponte intelligitur, modo cum superioribus conferantur quae ex Gallico opere, cui titulus: *Rèvue universelle*, 1ère Ann. Vol. III, fasc. XI. A. 1832 hic inserimus: quoniam Bandini opus (*Collectio veterum aliquot monimentorum ad historiam praecipue litterariam pertinentium Arretii* 1752) quod Busini epistolam continet, nobis ad manum non venit. „ Quand on eut chassé Hippolyte et Alexandre, „ après la prise de Rome par le connétable de Bourbon, „ Machiavel s'enfuit de Rome (dit Busini dans sa lettre „ XI à Varchi l'historien) et arriva ici quand la liberté „ était rétablie. Il chercha avec beaucoup d'instance de „ rentrer dans sa place des Dix: Zanobi et Luigi le fa- „ vorisoient beaucoup; mais Baldassami et Niccolò di „ Braccio lui étaient contraires, et tout le monde le hais- „ sait à cause de son *Prince*; il semblait aux pauvres, „ que

„ in convictu omnibus gratus, in amicos officio„ sus, optimorum hominum amicus, et, ut pau„ cis complectar, dignus, quem natura aut mi„ nori ingenio aut meliori mente ornasset. *Ego* „ *autem, uti reticere nolui, quae de Machiavelli* „ *mortis causâ multi affirmant et nonnulli scrip*„ *serunt, ita et mea me voluntas atque officium* „ *animadvertere iubent, haec omnia in rerum* „ *naturam cadere non potuisse, ideoque falsissi*-

„ *ma*

„ que le *Prince* fût un document pour enseigner au duc „ à enlever aux uns les richesses, aux autres la liberté. „ Les dévots regardaient l'auteur comme un hérétique, „ les bons comme un malhonnête homme, les méchans „ comme un méchant plus habile et plus méchant qu'eux; „ de sorte que chacun le détestait. Mais Zanobi et Lui„ gi, dans leur reconnaissance, ne songeaient qu'aux bien„ faits qu'ils en avaient reçus et à leur vertu; *ils igno*„ *raient ses vices; car Machiavel fut corrompu dans sa* „ *vieillesse, et surtout gourmand; il portait sur lui des* „ *pillules dont Zanobi Bracci, père de l'abbé, lui avait* „ *donné la recette.* Il tomba malade, *en partie par la* „ *douleur, en partie pour une cause ordinaire.* Sa dou„ leur venait de son ambition, en se voyant enlever sa „ place par Giannotto, très inférieur à lui. — Machiavel „ malade commence à prendre de ses pillules, à s'affaiblir „ et à aller plus mal. Alors il raconta ce songe si célè„ bre à Filippo, à Francesco del Nero, à Jacobo Nardi „ et à d'autres, et mourut ainsi très mécontent en plai„ santant. Pierre Carnesecchi dit qu'il vint de Rome „ avec une soeur à lui, qui l'avait entendu soupirer plu„ sieurs fois, quand il apprit, comment Florence était „ libre. *Je crois qu'il s'affligeait de sa position; car il* „ *aimait la liberté, et extraordinairement; mais il s'affli*„ *geait de s'être embarassé dans les affaires avec le pape* „ *Clément.*"

„ *[illegible] esse.* Certissimum enim est, Machiavellum
„ diem supremum obiisse ante Tarugium: ante
„ igitur quam Giannottius Graphiarius creari po-
„ tuerit " (1).

Ipse igitur Varchius spatsos de Machiavelli morte rumores et diligenter refert et de industriâ confutat. Qui vero nuper breviter de Machiavello egit, Kellermannus, Businum copiosius atque accuratius enarrasse omnia existimat, quam ut neganti Varchio, ipso judice, fidem habere liceat. Cuius argumentum ita refellere conatur, ut Tarugium, non morte, sed propter aliam quamcunque causam a republicâ remotum fuisse, credat (2). Verum hanc conjecturam ideo improbamus, quod Varchius facile, et aliunde et actis publicis consulendis, cuius rei facultate in historiâ conscribendâ egregie usus est (3), scire potuerit, quare Tarugii munus vacaverit; et, vel ob Busini literas, fabulam istam resuscitantes, datâ operâ in hanc rem inquisivisse censeri debeat, de quâ certum judicium interponit. Neque vero, quod Businus, de Kellermanni sententiâ, non sine copiâ et delectu in epistolâ scribendâ versatus fuit, nos tantum movet, ut ipsi contra disertum Varchii testimonium fidem habeamus: in primis, si cogitemus, quae de Machiavelli consilio in edendo opusculo *del Principe*, de hujus libri indole,

de

(1) l. l. pag. 210 sqq.

(2) l. l. pag. 42.

(3) Dignus est, qui hac de re cf. Wachlerus, oper. laud. pag. 177 sqq.

de perverso auctoris ingenio et gulae intemperie memoraverit. Itaque nec viri doctissimi opinionem probamus, nec magnam isti hominum famae auctoritatem tribuimus, et Varchii testimonio acquiescimus (1); non autem negamus, erroribus istis aliquam subesse posse veri speciem, modo omnia ad iudicii severitatem exigantur: quae igitur diligenter explorare officii nostri duximus. Quod enim in historia illorum temporum literaria frequenter occurrit, ut multa partium studiis et scriptorum levitate vel omnino ficta sint, vel ita obscurata, ut tamen non omni veritatis fundamento careant: illud Machiavelli memoria in primis experta est. Qui cum aliis grato animo enarrare solitus fuisse videatur, se egregiam antiquitatis cognitionem, quam scripta eius referunt, Marcelli Virgilii doc-

(1) Fuerunt, qui illud nulla fide dignum pronuntiarent, quod eum nimis Mediceis deditum existimarent. Cf. Christius Lib. II. p. 84, et doctissimus Machiavelli historiae scriptor Gallicus p. 283: non reputantes Varchium historiam scripsisse Cosmi illius Medicei auctoritate, qui A. 1537 in locum Alexandri Medicei necati Florentiae dux creatus est. Cf. Sismondi Vol. XII. pag. 108 sqq. Hic autem ad Mediceorum gentem pertinebat quidem, sed diversae stirpis erat. Communem auctorem habuerunt Joannem, A. 1428 mortuum: a magni Cosmi vero, Joannis filii, descendentibus oppressi fere fuerant Laurentii, Cosmi fratris, filii ac nepotes: qui a sua parte populi causam adversus gentilium tyrannidem amplecti solebant. Itaque, ut hisce gratum faceret, illorum memoriae parcere nequaquam necesse habuit Varchius. Sed, quod maioris etiam momenti est, incorruptam huius in diiudicandis hominibus sinceritas fuit, qua de re cf. Wachlerus A. I. pag. 178.

doctrinae atque in se studio debuisse, illud ita accepit Paulus Iovius, ut in virorum literis illustrium Elogiis haec memoriae prodiderit. „Constat, in„quit, Machiavellum, sicuti ipse nobis fatebatur, „a Marcello Virgilio, cujus et notarius, et asse„cla publici muneris fuit, *Graecae atque Latinae* „*linguae flores accepisse, quos scriptis suis insere*„*ret*" (1). Machiavellus ad stomachi aut capitis dolores sublevandos pilulas sumere solebat, eandemque medicinam aliis commendare. Inde et Businus, ut ex ipso quoque verborum contextu sponte efficimus, eum, in vitae fine, gulae deditum fuisse tradidit: et Paulus Iovius nescio quid nugatus est. Ut autem alia similia taceam, in absurdis multis nonnulla Busini et Varchii narratio continet, quae ornata tantum et aucta, non omnino ficta videntur: quae igitur, si ad veritatis modum revocentur, minime rejicienda sunt. Forte, quae de civium in Machiavellum odio et de dolore, quo extremis ipse vitae temporibus affectus fuerit, feruntur, sic intelligi debent, ut popularis fama cum rei veritate in concordiam redigatur.

Optimates quidem conjurationis adversus Mediceos auctores et principes exstiterant; sed statim post recuperatam libertatem tam vehemens exarsit [illegible] ple-

(1) Cfr. Opp. Vol. II. pag. 104, 105. Itaque non finxisse omnia, sed et orationis amplificatione usus esse Paulus Iovius censeri debet, quae teste Rankio (*zur Kritik neuerer Geschichtschreiber*, p. 68 sqq.) praecipua causa fuit, cur omnis fere fides ei immerito a posteris denegata fuerit.

plebis, cuncta pristinos dominos, omnesque, qui ullo modo iis favissent, odium, ut omnia fere munera, superioribus magistratibus abrogaverit (1), cunctae dominationis vestigia in urbe deleri voluerit (2), multosque ex optimatibus, Machiavelli amicis, Strozzium, Vettorium, Ludovicum Guicciardinum, ipsum adeo Nicolaum Capponium, qui omnia fere fecisset, suspicione oneraverint, ac si Mediceos revocandi consilium cepissent (3). Sive igitur Machiavellus aut ipse, aut per amicorum operam, ad aliquem honorem contenderit, nec ne, (qua de re nihil omnino constat) illud certum est, eum, hoc popularis invidiae aestu, duplicem ob causam, civilis odii tempestatem subire debuisse: tum, quod ante A. 1512 libertatis (ita enim jactabant) amicissimum sese praebuisset, tum, quod postea nullâ cogitatione a Mediceorum fide abduci sese passus esset, nihilque omnino, ut patriam a servitute vindicaret, perpetrasset. Auxerit hoc odium recordatio, Machia-

(1) „ Nel principio dopo la mutazione dello stato quasi „ tutti i magistrati furono d'uomini popolani e amicissimi „ di quella libertà; il che poi in gran parte si mutò. Varchius, l. l. pag. 201, Sismond. p. 337–339.

(2) Cf. Guicciard. pag. 668.

(3) Neque immerito. Cf. Varchius, Lib. IV. p. 173 sqq. Urbe enim in libertatem restitutâ mox duae factiones sese exseruerunt, optimatiumque favore, illorum maxime, quos supra nominavimus, (vid. Segnius, Lib. III. pag. 159, et 213) Clementis VII artibus et Caroli V armis A. 1530 perpetuam urbis dominationem recepit Medicea gens, cujus stirps Tusciae imperium usque ad A. 1737 retinuit, quo ultimus dux, Janus Gastonus, sine prole decessit.

vellum Laurentio, cujus memoria civibus invisa esset, *dedicasse* librum *del Principe*, ut sese in ejus gratiam insinuaret. Haec causa postea ad consilium, quo ipsum opusculum *scripserit*, traducta fuit: quod Varchius et Businus, ut ex eorum judicio efficimus, aut legerunt nunquam, aut certe non intellexerunt. Auctorem illud opprimere voluisse, non Businus tradit, sed, quod minime negligendum est, Varchius, qui serius vixit, huius narrationi ipse obiter inserit: cui tamen vel ideo fidem non habuerim, quod lectus et vulgatus liber absurdis Machiavellum criminationibus statim absolvisset. Deinde nobis verisimile videtur, primis saltem post recuperatam libertatem diebus, cum incertus adhuc esset de novorum rectorum favore, poenituisse Machiavellum, quod Clementi VII sese totum applicavisset, qui tali auxilio sese indignum praestitisset; neque potius inde ab initio partes amplexus fuisset eorum optimatium, quorum causa ipsi semper si non optima, melior certe, apparuisset; quaeque nunc superior existeret. Nullâ denique operâ perspicimus, Varchium, cum modo affirmet, Machiavellum docuisse, quo modo divites bonis, pauperes honore, cunctos libertate privandi essent, ideoque tam probos quam improbos mortis ejus nuntium laete accepisse; modo contra, cum optimorum virorum amicitiâ ornatum fuisse contendat; haec inter se repugnantia e duobus fontibus sumsisse, prorsus diversis, *populari rumore*, et *incorrupto bonorum judicio* (1).

Ru-

(1) Facile quoque [illegible]

de

Rumor ille ortus videtur ex gravissima dissensione, qua Florentinorum animi, mortis eius tempore, distracti fuerunt: ex indefesso isto Ecclesiae Romanae adversarios omni modo premendi studio, quo brevi post in Italia et plerisque Europae partibus multi incensi sunt, ex aequalium scriptorum levitate, et forte ex Machiavelli moribus, qui leviores erant, quam ut reprehendi non possent. Quamquam tanta erat omnium ordinum, amplissimorum adeo virorum, in Italia in idem vitium proclivitas, tantaque aequalium indulgentia, ut nobis credibile non sit, eum propterea alios offendisse. Quod vero et alii aliter de eo iudicaverunt, et Varchius ipse meliora docuit, illud argumento est, et antea, et ipsius aetate, multos exstitisse, qui Machiavellum cognovissent, qualis fuisset: quique pro vulgaribus calumniis veritatem amplecti non dubitarent.

Idem nos fecimus, qui viri vitam et scripta diligenter explorare et simpliciter enarrare studuimus. Etenim illud Machiavello proprium est, ut, quo accuratius et severius res eius gestae inquirantur, eo magis memoriae eius offusae tenebrae dissipentur, eoque ipse maior in integritatis et sapientiae suae luce appareat.[1] Itaque non solum

de Machiavello judicium in Varchii descriptione falsarum de eodem opinionum commemorationem excipiat. Postquam ex ipsius Busini maxima epistola primam narrationis partem duxerat, contrarium fere ipse testimonium profert, ita pergens: „ Era *nondimeno* il Machiavello nel conversare piacevole, officioso verso gli amici" etc.

lum in omni eum vitae statione honestissimum, patriaeque amantissimum et sagacissimum civem atque amicum fidelem reperimus; verum hoc in primis etiam admirati sumus, in iis illum, quae recentiorum primus adgressus est (adgressus autem est multa et diversissima) subito principem exstitisse: et neminem unquam fuisse, qui vitiorum, quibus populares et patriae disciplina premerentur, aut naturam et causas sagacius perspexerit, verius senserit, gravius exposuerit, aut efficaciora remedia indicaverit. Hoc enim summum, nisi vitae, saltem omnium propemodum Machiavelli scriptorum propositum fuit: quae communi hoc cognationis vinculo continentur. Quod uti in iis operibus, quae adhuc recensuimus, dominari jam intelleximus, ita proximo loco videndum est, num conspiciatur quoque in illo opusculo, cujus recte intelligendi et interpretandi gratiâ totam hanc disputationem suscepimus: et quod omni aevo judicatum fuit, ab honesto viro serio et salutari proposito condi haud potuisse.

Ceterum, cum Machiavellus vitae publicae motum et literatae severitatem mirâ festivitate temperare, morumque adeo licentiâ solvere, atque eam ingenii agilitatem, quae Italis propria censenda est, scriptorum varietate exprimere soleret; iure nobis ex totâ singularis viri vitâ efficere videmur, omni eum modo gentis suae indolem maxime retulisse; eundemque, si labium, quibus illa contaminaretur aetas, non immunis fuerit, tamen, qualemcunque tandem; rarissimis et dotibus et virtutibus aequales superasse.

LI.

LIBER II.

DE NICOLAI MACHIAVELLI

OPUSCULO

del Principe INSCRIPTO.

CAPUT I.

Universa opusculi distributio.

Eâ argumenti dispositione usus est Machiavellus, quam ipse in epistolâ ad Vettorium strictim indicavit. Hunc enim monuit, se scriptione suâ quaesivisse, quot imperii genera essent, quot regnorum: de hisce autem docuisse, quomodo adquirerentur, servarentur, perirent (1). Non tamen singulas partes pari industriâ pertractare voluisse videtur. Nam de variis imperii generibus verbo tantum animadvertit, iis aut rem publicam aut unius ditionem contineri: de illâ se peculiari opere egisse, itaque in hoc libro siluisse: principum autem imperia vel antiqua esse vel nova: quorum illa, cum nullâ prudentiâ humanâ, sed iuris tantum et natu-

rae

(1) Cf. Lib. I, Cap. III, pag. 85 in nota.

rae beneficio acquirantur et facili operâ serventur, nullâ ipsi videbantur explicatione indigere. De novo vero principatu et principe omnis est, quae in hoc opere occurrit, disputatio. Hanc ita instituit Machiavellus, ut primum (a cap. III—XII) de diversâ agat novorum regnorum naturâ, de causis, quibus tribuendum sit, ut ea vel prospera fortuna sequatur, vel adversa, et de variis modis, quibus acquiri et servari soleant: deinde (a cap. XII—XV) disquirat de firmissimo omnium civitatium praesidio, quod in militia bene ordinata situm est, deque principis erga gravissimum hoc munus officiis: denique (a cap. XV—XXIV) de modo disserat, quo in omni vita se ipsum gerere et aulicos subditosque regere et tractare debeat Princeps. Commentationem concludit enumeratione causarum, quae pleraque nova in Italiâ regna pessumdederint: tum vero magnificâ quâdam ad populares de Italiâ a barbaris liberandâ exhortatione, quae cultissimum quemque hodie adhuc summo commiserationis admirationisque sensu implere solet.

Lectores autem profecto ipsum legere librum malent, ab usu aetatis nostrae alienum et propemodum singularem, quam contractum eius in tenuem ac ieiunam orationem argumentum. Itaque, quo minus iis taedium adferremus, et quo melius ipsi omnem expositae doctrinae vim ac rationem perspicerent, praecipua praecepta in brevem includere studuimus de principe novo disputationem: sic tamen, ut reliqua suo singula loco non negligeremus.

CAPUT II.

De principe novo, quem in opusculo suo adumbravit Machiavellus.

Princeps, qui in omni agendi ratione sibi tanquam finem et extremum proponere debet, ut imperium ipse suum muniat et diuturnum reddat, ante omnia huiusce diuturnitatis fundamenta iaciat. Quae uti unice in bonis legibus et armis sita sunt, ita illis utetur initiis potentiae suae, sine quibus nulla omnino civitas stabilis esse possit (1). Quoniam autem, ubi viget militaris disciplina, ibi necesse est, ut floreant leges, hisce non carebit, modo illam consequatur. Milites igitur cum vel mercenarii sint vel auxiliarii, vel proprii, diversam eorum naturam praestantiamque cognoscere, plurimum interest. *Mercenarii* inutiles prorsus et periculosi censeantur. Sunt enim disiuncti inter sese, ambitiosi, acerrimi in amicos, in hostes inertes et ignavi, nullâ disciplinâ, nullo Dei metu, nullâ hominum fide continentur. Pacis tempore ipsi, belli vero, hostes tui te spoliabunt. Nulla alia re moventur, nisi mercedulae spe: in quâ satis non est ad eos impellendum, ut tui gratiâ mortem oppetant. Milites tui evi-

(1) Cap. XII-XV.

evadere gestient, sed pacis tempore: bellum ubi inciderit, aut fugâ aut discessu sibi consulunt. Habet haec res nullam dubitationem, modo cogitemus, nulli alii causae praesens Italiae excidium tribuendum esse, nisi quod ab aliquot inde annis istâ militiâ usa et unice confisa sit, quae valida quidem nonnunquam visa est, mercenariis invicem pugnantibus; sed quae, quam vilis esset, tum demum omnibus ostendit, cum praepotens exterus adventaret. Itaque Carolo VIII integrum fuit, Italiam, nullo impetu facto, occupare. Mercenarii autem duces praestantissimi viri sunt, aut non sunt: si sunt, nullam omnino fidem merentur, quoniam ad propriam unice amplitudinem contendent, eosque, qui ipsos conduxerunt, vel alios, praeter dominorum voluntatem, oppriment (1): sin ignavi sunt, te procul dubio perdent. *Auxiliarii* vero milites magis etiam metuendi videntur; quique iis utitur, de eius exitio dubitari nequit. Coniuncti enim sunt, alteriusque imperio parent. Quâ in re meliori conditione quam conductae copiae utuntur: quae, ut te post reportatam a se victoriam offendant, longius tempus melioremque occasionem ex-

(1) In causis, cur paucorum imperia commutentur, Aristot. Πολιτ. E. pag. 202, Ed. Schneid. hanc quoque recenset. Γίγνεται, inquit, μεταβολὴ τῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ ἐν πολέμῳ καὶ ἐν εἰρήνῃ· ἐν μὲν πολέμῳ διὰ τὴν πρὸς τὸν δῆμον ἀπιστίαν στρατιώταις ἀναγκαζομένων χρῆσθαι· ᾧ γὰρ ἂν ἐγχειρίσωσιν, οὗτος πολλάκις γίγνεται τύραννος.

exspectare debent. Non enim facile in unum corpus coalescunt: quique a te accitis et stipendio donatis dux praeficitur, non potest statim tantam sibi auctoritatem conciliare, ut tibi metuendus existat. In hisce ignavia, in illis bellica virtus periculosa erit magis. Ergo prudentissimus quisque princeps horum armorum omnium usum maxime repudiabit, ita ut cum suo exercitu perire, quam alienâ ope vincere praelaturus sit: eam non veram victoriam iudicans, quae non suis militibus reportetur. Haud aliter Caesar Borgia, quem non dubitet imitari in omni vitâ princeps novus. Qui, cum initio auxiliarias copias habuisset, Gallorumque ope Forum Cornelium et Livium cepisset, mox ad mercenarias, in quibus minus periculi, maioremque fidem inesse intelligebat, se contulit: et ex Ursinorum Vitelliorumque gente et clientibus milites conscripsit. Verum cum hosce quoque ex usu et tractatione dubios, infidos et periculosos cognovisset, in posterum non nisi subditis ipse suis uti voluit. Dici autem vix potest, ab eo inde tempore ut opes eius creverint. Idem omnium temporum historia confirmavit.

Itaque militiae rite ordinatae nomine non nisi propriam intelligit Machiavellus i. e. eam, quae principis subditis, cives sint seu clientes, constet.

Principi autem nihil tantopere cordi esse debet, quam militaris disciplina, quae sola ars est imperantis, tantaeque excellentiae, ut non modo reges sus-

ti-

tineat, verum etiam privatos ad regnum evehat. Contra vero, qui aut inermes sunt, aut deliciis magis quam bello student, contemtum sui pariunt (quo nihil principi est fugiendum magis), aut regno pelluntur. Nunquam igitur cogitationem ab hac arte avertet: pacis acrius etiam, quam belli tempore, in eâ sese aliosque exercens. Otii mollitiem fugiet: corpus venando, equitando, laboris ac belli patiens reddet: mentem utilissimarum rerum cognitione, historiae maxime, ornabit: animum autem ita fortitudine et prudentiâ imbuet, ut ad utramque fortunam subeundam sit paratus. Illud enim omnium maxime spectare debet, ut nullâ in re ab aliis pendere cogatur, sed contra semper integrum sese servet, propriis viribus unice confisus (1). Hoc maxime quidem in bonâ militiâ sibi comparandâ valet, non tamen unice. Idem praeceptum observabit in ineundâ, alios oppugnandi gratiâ, cum potentiori societate (2): idem in consilio a subditis capiundo (3). Etenim, cum adulatores pestis instar fugiendi sint, et tamen prudentium virorum auctoritate indigeat princeps, optime omnibus difficultatibus occurret, declarando, se non offensum iri, si omnes veritatem coram se

(1) „ Li Principi debbono fuggire quanto possono lo „ stare a discrezione d'altri." C. XXI. „ Fù sempre opi„ nione e sentenza degli uomini savj, che niente sia co„ sì infermo e istabile, com'è la fama della potenza non „ fondata nelle forze proprie." C. XIII.

(2) Cap. XXI. (3) Cap. XXIII.

se libere profitentur. Habet tamen haec res hanc cautionem. Si omnibus hac libertate uti integrum sit, verendum est, ne brevi in licentiam abeat, principisque imminuatur existimatio. Eligendi igitur sunt rerum usu periti, quibus solis licebit liberam sententiam proferre de iis unice rebus, de quibus eos princeps interrogabit. Hic vero de omnibus illos sciscitari debet, eorumque consilia ita explorare, ut omnes intelligant, quo liberiores fuerint in dicendo, eo sese ipsi acceptiores fore. Princeps, quid sibi visum fuerit, propria auctoritate decernet, eamque de se in omni vitae actione opinionem excitabit (1), ut sententiam eius, semel pronuntiatam, ratam ac firmam habeant subditi, eumque unquam aut decipi aut flecti posse desperent. Omnis omnino eius agendi ratio perpetuam constantiam spirabit: ut neutrâ fortunâ necesse habeat vacillare. Perniciosissimum hoc est: cum adversis rebus oppresso et saeviendi tempus elapsum sit et beneficia non amplius prosint. Invitus enim omnia facere videbitur: nec coacto ulla gratia referetur. Ad eandem normam exigenda est quaestio illa: „ satiusne sit diligi an metui " (3)? Amor vinculo quodam morali homines coniungit, quod, cum sint improbi, proprii commodi causâ, primâ quoque occasione, rumpunt: metus vero perpetuâ poenae formidine retinetur. Optimum sane es-

(1) Cap. XIX. (2) Cap. VIII. in fine. (3) Cap. XVII.

esset, si et civium amore gauderet princeps nec metu careret: verum hoc etiamsi humanae naturae imbecillitas ferret, certe temporum nostrorum infelicitas non patitur. Itaque eo metu imperium muniat, qui cum ab odio remotissimus sit, tum reverentia potius appellari mereatur. Cum enim homines ad suum arbitrium ament, metuant vero ad principis voluntatem, sapiens eo, quod suae, non alienae, est facultatis, niti studebit (1). Eadem haec se suaque ab aliorum ope et contrariâ fortunâ, quoad fieri possit, integra servandi cura principem movebit, ut non praesentibus magis temporibus quam futuris prospiciat, ne haec eum necopinantem opprimant: et vero, Romanorum exemplo, irrepentibus sensim sensimque in civitatem malis continuo omni vigilantia occurrat. In rebus enim imperii idem obtinet, atque in hecticâ febri, quae initio facilis est ad curandum, ad cognoscendum difficilis: progressu vero temporis, cognitu facilis, sanatu perdifficilis (2). Caveat quoque maxime, ne ex iis, quae

(1) Ex eodem fonte sententia derivanda est, quae invenitur Discors. Lib. I. Cap. XIX in fine.

(2) Cap. III. „ Pertanto se colui ch'è in un Principato „ non conosce i mali sennon-quando nascono, non è vera„ mente savio: e questo è dato a pochi." C. XIII. Similiter Aristot. Πολιτ. E p. 191. Ed. Schn. Ἔτι διὰ τὸ παρὰ μικρὸν (μεταβάλλουσι αἱ πολιτεῖαι)· λέγω δὲ παρὰ μικρὸν, ὅτι πολλάκις λανθάνει μεγάλη γινομένη μετάβασις τῶν νομίμων, ὅταν παρορῶσι τὸ μικρόν· et pag. 193. Ἐν ἀρχῇ γίγνεται τὸ ἁμάρτημα· ἡ δ' ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι παντός.

quae quietâ re publicâ occurrant, civium, turbidis temporibus, benevolentiam metiatur. Tunc enim praesto sunt omnes, omnes fidem dant: omnes illi, cum mors est procul, pro principe mortem oppetere gestiunt, quorum cum, vertente fortunâ, viribus opus habeat princeps, mira paucitas erit. Sic igitur hic regnabit, ut subditi semper imperio eius egeant; atque ita iis semper fidelibus utetur (1).

Iactis hisce firmissimis dominationis suae fundamentis, reliquum est, ut pari studio in omni vita et convictu *odium* et *contemtum* sui evitet. Hoc praeceptum apud Machiavellum utramque paginam facit omniaque principis officia moralia complectitur (2). Contemnitur, si varius, levis, effoeminatus, timidus, si denique habeatur animi incertus. Quae omnia scopuli instar effugere, omnique ope eniti debet, ut in nulla non re animi eius magnitudo, spiritus ingens, gravitas, fortitudo eluceant (3). Maxima autem existimatione gaudebit, primum, si praeclaris facinoribus illustrissimum suum exemplum aliis ad imitandum proponat: ut fecit Ferdinandus Aragonensis, Hispaniarum rex, qui ex

(1) C. IX. Hisce conveniunt prorsus, quae habentur Disc. Lib. I. Cap. XXXII. in fine.

(2) Cap. XIX. Aristoteles quoque, singulas coniurationis causas, quas pag. 219 sqq. enumerat, pag. 225 ad duplicem potissimum fontem, e quo emanent, refert: μῖσος καὶ καταφρόνησιν.

(3) Cap. XXI.

ex imbecillo principe ac fere novo, eo et famae et gloriae processit, ut inter Christianos reges facile primus evaserit; deinde, si in interna regni administratione subditos pro re natâ vel praemio vel poenis afficiat, ita ut diu sententia eius in ore populi maneat (1): denique, si cuncta eius dicta et facta magnanimitatem et excellentiam spirent. Ad haec verum amicum aut inimicum se praebere debet: quod semper utilius erit, quam neutrarum esse partium (2). Civibus suis animos addet, quo sperent

(1) Cff. omnino Discorsi Lib. III. Cap. XXXIV.

(2) C. XXI. Cff. omnino Discors. Lib. II. C. XV. et in primis Epist. ad Vettorium XXXVII. pag. 135. Quae enim ibi leguntur adeo cum doctrinâ in opusculo *del Principe* expositâ conveniunt, ut ea hic non inserere non possim. Ita autem ibi disputat Machiavellus. „Lo star neutrale, „ inquit, non credo che fusse mai ad alcuno utile, quan„do egli abbia queste condizioni, che sia manco potente „ di qualunque di quelli che combattono, e che egli ab„bia gli stati mescolati con gli stati di chi combatte: e „ avete ad intendere prima, che non è cosa più necessa„ria a un principe, che governarsi in modo coi sudditi, „ e con gli amici, e vicine, che non diventi o odioso, o „ contennendo, e seppure egli ha a lasciare l'uno di ques„ti due, non stimi l'odio, ma guardisi dal disprezzo. „ Papa Giulio non si curò mai di essere odiato, purchè „ fusse temuto, e riverito, e con quel suo timore messe sot„tosopra il mondo, e condusse la Chiesa dove ella è, e „ io vi dico che chi sta neutrale conviene che sia odiato „ da chi perde, e disprezzato da chi vince, e come di „ uno si comincia a non tener conto, è stimato inutile „ amico, non è formidabile inimico, si può temere che „ gli sia fatta ogni ingiuria, e disegnato sopra di lui ogni „ ruina." Eadem Epist. XXXVIII. p. 136 sq. docet.

rent sese tranquille negotia sua tum in mercaturis faciendis, tum in agris colendis, in quocunque tandem hominum vel studio vel commercio, peragere posse: ne eorum alii ab augendis et ornandis possessionibus, direptionis metu, alii ab aperiundis officinis, tributorum acerbitate, deterreantur. Contra praemiis donandi sunt, qui talia adgrediantur, regnique commodum aliqua ratione provehant. Statis item anni temporibus populum festis et spectaculis oblectabit: cumque omnis civitas in artificum collegia aut tribus divisa sit, eorum coetus in honore habebit: unaque cum iis identidem congregabitur, iisque humanitatis et magnificentiae suae documenta dabit: dignitatis tamen maiestatem perpetuo retinens. Haec enim nulla in re neque ullam ob causam negligi debet.

In odium maxime adducunt bonorum direptio, mulierumque raptus. Ab hisce prorsus sese abstinebit princeps (1). Nam his ubi parcitur, plerique mor-

(1) De mulierum raptu cff. omnino Discors. Lib. III. Cap. VI et XXVI. ubi haec habet: „ E Aristotele tra le prime cause, che mette della rovina de' Tiranni, è l'aver ingiurato altrui per conto di Donne, o con stuprarle, o con violarle, o corrompere i matrimonj." respiciens Πολιτ. l. l. pag. 220. Πολλαὶ δ' ἐπιθέσεις γεγένηνται καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰσχύνεσθαι ὑπὸ τῶν μονάρχων τινάς· pag. 232. Διὰ γυναικῶν ὕβρεις πολλαὶ τυραννίδες ἀπολώλασι· et pag. 233, qua tyrannum ab omnibus iniuriis temperare admonet, παρὰ πάσας δὲ δυοῖν, τῆς τε εἰς τὰ σώματα (κολάσεως) καὶ τῆς εἰς τὴν ἡλικίαν. Efficimus autem ex Machiavelli loco, memoria lapsum esse Leonem Vir Cl. cum in praef. ad

mortalium plane contenti vivunt, atque ita nihil remanet oppugnandum, nisi paucorum ambitio, quae multis modis facilique negotio fraenari atque reprimi potest (1). Sed patrimonii conservandi studio adeo agitantur homines; ut citius parentum caedem, quam fortunarum suarum direptionem obliviscantur. Si quando in vitam alicuius animadvertere opus fuerit, ne id vereatur facere princeps, modo satis legitima et manifesta huiusce rei causa afferri possit: alienas vero opes ne tangat. Neque immerito ita sentiunt homines. Nam qui rapinis vivere incipit, perpetuo causas exquiret, quibus aliorum bona occupet. Contra sanguinis effundendi rariores sunt praetextus, citius praetereunt, atque deficiunt (2). Odium autem honestis aeque ac turpibus factis conciliatur. Quocirca Princeps, qui imperium servari velit, nonnunquam improbus evadere cogitur: quandoquidem, si ea multitudo, quae plebe, militibus aut optimatibus constet, cuiusque operâ ad tuendum regnum indigeat, depravata fuerit, obsequi eius studio, atque illi mo-

ad Machiav. Epist. pag. XX. statueret, nullo modo probari posse, Machiavellum certam aliquam Aristotelici operis notitiam habuisse. — Civium autem bonis principem parcere iubet Machiav. Discors. Lib. III. Cap. XIX et XXIII. Aristot. l. l. pag. 219. in fine paulo aliter ita disputat: Διὰ ἀδικίαν καὶ διὰ φόβον καὶ διὰ καταφρόνησιν ἐπιτίθενται πολλοὶ τῶν ἀρχομένων ταῖς μοναρχίαις· τῆς δ' ἀδικίας μάλιστα δι' ὕβριν, ἐνίοτε δὲ καὶ διὰ τὴν τῶν ἰδίων στέρησιν.

(1) Cap. XIX. (2) Cap. XVII.

morem gerere necesse habebit. Alias enim, honestis facinoribus, suum ipse sibi interitum pararet (1).

Hac odii et contemtus fuga ceterarum virtutum vitiorumque omnium praecepta ac monita continentur. Itaque liberalitatis nec imaginem nec speciem referet. Haec enim si, prouti par est, colatur, obscura iacebit, neque contrarii vitii infamiam evitabit princeps. Qui si liberalis videri velit, omnis generis luxui indulgere, nullaque non occasione opes suas et fortunas profundere debet: unde tandem importunissimus fiet populi sui exactor, undecunque sibi pecunias corradens. Proinde sapientissimus quisque parsimoniae notam minime reformidabit. Nam, progressu temporis, cum perspectum fuerit ex principis parsimonia abunde ipsi vectigalium suppetere, et posse ipsum a quocumque hoste regnum tueri, resque insignes, haud gravato populo, adgredi: profecto censebitur in omnes illos, quibus nihil ademerit, beneficus: hi autem numero prope infiniti sunt: in reliquos tantum, quod in eos nihil contulerit, parcus. Machiavellus aetate sua nihil laude dignum perpetratum esse pronuntiat, nisi ab iis principibus, qui avari habiti fuerint: reliqui omnes perierunt. Praestat igitur parci nomen sustinere, quod infamiam sine odio parit, quam, ut beneficus dicaris, rapacitatis vituperationem necessario subire, quae infamiam summo odio coniunctam contrahit (2).

Idem

(1) Cap. XIX. (2) Cap. XVI.

Idem prorsus de clementiâ et crudelitate dicendum est (1). Certe optabile foret, ut omnes principes clementes, non crudeles, haberentur: cavendum tamen iis est, ne illa clementia abutantur. Saevus esse censebatur Borgia: nihilominus hoc vitio universam regionem pacavit, et ad pacem fidemque redegit. Quanto melius hic egit, quam populus Florentinus, qui, ut saevitiae nomen effugeret, Pistoiensium civitatem sivit everti. Parvi igitur ducat princeps eam notam, quae subditos concordes fidosque retineat. Paucos enim puniendo clementior erit, quam si nimia lenitate permittat, ut rerum perturbationes sequantur, unde caedes oriantur aut rapinae necesse est, quae totam multitudinem offendere solent, cum illae poenae, quae a summo imperante proficiscuntur, unum tantum alterumve privatum laedant. Novi in primis principes non possunt esse nunquam crudeles, quoniam eorum regna adeo periculis abundant. Hinc Virgilius, sub Didonis personâ, ex novitate regni inhumanitatem excusat:

„*Res dura, et regni novitas me talia cogunt*
„*Moliri, et late fines custode tueri.*"

Nihilominus non temere credet omnia, aut movebitur, aut sibimet ipse metuet: verum ita regni severitatem prudentiâ et humanitate mitigabit, ne nimia ipsum confidentia incautum, aut diffidentia intolerabilem reddat: saevitiamque, si quando est uti

(1) Cap. XVII.

uti debeat, ita adhibeat, ut omnem uno impetu effundat, ut ne perpetuo eo sit recurrendum, atque aliis beneficiis homines placare possit (1). Qui hoc vel timiditate vel imprudentiâ negligat, eductum gladium nunquam de manibus deponere poterit, nec ullum positae dominationis fundamentum stabilire. Iniuriae enim simul omnes et semel faciundae sunt (2), ut, minus perceptae, minus quoque laedant: beneficia vero sensim sensimque instillari debent, quo melius gustentur (3). Eodem modo princeps aliis procuranda decernere debet, quae invidiam parere possint: sibi vero, quae grata sint, reservare (4). Exercitus autem duci consilium dandum est, ut crudelitatis nomen flocci faciat. Caeteroquin nunquam copias coniunctas, nec ad aliquid adgrediendum instructas retinere potest. Quod Annibalis exemplo satis comprobatur, cuius res gestas cum admirantur scriptores, potissimam earum causam, quae in efferâ eius saevitiâ sita est, vituperant. (5)

Pul-

(1) Cf. Cap. VIII.

(2) Cff. in primis Discors. Lib. I. Cap. XLV. ubi eâdem ratione contendit, necesse esse, „ o non offendere mai alcuno, „ o fare le offese ad un tratto, e dipoi rassicurare gli uomini, „ e dare loro cagioni di quietare e fermare l'animo."

(3) Cap. VIII.

(4) Cap. XIX. „ Li Principi debbono le cose di carico „ fare amministrare ad altri, e quelle di grazia a lor medesimi."

(5) Cap. XVII. Idem exemplum excitat Discors. Lib. III. Cap. XXI.

Pulcrum sane in principe foret, fidei integritatem sine ullo dolo malo servare: neque, si probi essent homines, ei improbo esse liceret: cum vero improbi sint, fidemque ei non sint praestituri, ipsi quoque nullo modo necesse est eam illis praestare. Promissa igitur omnia, quando illa commodis suis contraria reperiet, aut exstinctae sint causae, quae eum ad ineundum foedus impulerint, sine ulla dubitatione franget. Color, quo violata fides defendatur, nunquam deerit: uti infinita ex recentissima memoria petita exempla docent, e quibus videmus, quot pacis foedera et conventa, perfidia principum, irrita et vana reddita sint: callidissimo cuique felicissime omnibus cedentibus. Verum, ut hisce partibus rite fungatur, necesse ei erit, perpetuo simulando et dissimulando vera sua consilia aliis occultare: homines autem adeo simplices sunt, praesentibusque obnoxii necessitatibus, ut, qui fallere velint, inventuri semper sint, quos fallant. Alexander VI nunquam aliud fecit aut cogitavit, quam homines decipere. Quo qui aut efficacius adseveraret, aut speciosius iuraret, et minus praestaret, nemo unquam repertus est: vel sic tamen doli eius nunquam non ei cesserunt (1).

Idcirco non opus est principi, ut *sit* clemens, fidus, humanus, pius, integer: opus est ei, ut *videatur* (2). Imo vero dubitari non potest,

(1) Cap. XVIII.

(2) Cum tota hac Machiavelli doctrina, qua τὸ δόξειν τῷ

test, quin illud saepe ei noceat, hoc tantum utile sit. Principes, in primis novi, non possunt serva- [illegible] re

τῷ εἶναι aut antefertur aut certe ad hoc aequiparatur, dignissimus est qui conferatur. Aristot. l. l. p. 231 sqq. Hic enim, postquam eum salutarem tyrannidis conservandae modum esse significavit, quo haec regio imperio similior efficiatur, tyrannis quidem suadet, ut potentiam non in volentes modo verum etiam in invitos sibi retineant, cetera vero eos iubet τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ δοκεῖν, ὑποκρινόμενους τὸ βασιλικὸν καλῶς. Itaque, ut illa tantum excitem, quae cum Machiavelli monitis conveniant, operam dare debet tyrannus, ut, si minus aliis virtutibus, at certe civilibus sit praeditus; διὸ δεῖ, κἂν μὴ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ἐπιμέλειαν ποιῆται, ἀλλὰ τῆς πολιτικῆς, καὶ δόξαν ἐμποιεῖν περὶ αὐτοῦ τοιαύτην: et vero etiam ut non χαλεπὸς, sed σεμνὸς appareat, id est eiusmodi, ὥστε μὴ φοβεῖσθαι αὐτὸν τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰδεῖσθαι; quod ei non facile contingit, qui talis est, ut facile contemnatur. Ante omnia autem δεῖ δ ο κ ε ῖ ν φροντίζειν τῶν κοινῶν, μήτε δαπανῶντα δωρεὰς τοιαύτας, ἐφ᾽ αἷς τὰ πλήθη χαλεπαίνουσιν, ὅταν ἀπ᾽ αὐτῶν μὲν λαμβάνωσιν ἐργαζομένων καὶ πονούντων γλίσχρως, διδῶσι δ᾽ ἑταίραις καὶ ξένοις καὶ τεχνίταις ἀφθόνως. Deinde τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φ α ί ν ε σ θ α ι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως debet: eosque, qui aliquâ virtute praestant, talibus honoribus afficere, ut non putent se unquam a civibus, si liberi essent, maiores fuisse consecuturos; et hos quidem honores ipsum tribuere, supplicia vero per alios magistratus et per iudices irrogare: τιμὰς δεῖ ἀπονέμειν αὐτὸν, τὰς δὲ κολάσεις δι᾽ ἑτέρων ἀρχόντων καὶ δικαστηρίων. Omnino, ut paucis verbis cuncta complectamur, oportet eum μὴ τυραννικὸν ἀλλ᾽ οἰκονομικὸν καὶ βασιλικὸν εἶναι φ α ί ν ε σ θ α ι τοῖς ἀρχομένοις, καὶ μὴ σφετεριστὴν, ἀλλ᾽ ἐπίτροπον καὶ τὰς μετριότητας τοῦ βίου διώκειν, μὴ τὰς ὑπερβολάς.

re ea omnia, quibus homines probi censentur: non raro enim, regni tuendi gratia, ea omnia perpetrare coguntur, quae omni humanitati, omni caritati, omni religioni repugnant. Ad omnem igitur ventorum et fortunae conversionem versatile ingenium habere debent: ab eo, quod bonum est, non discedentes, sed, urgente necessitate, quae mala sunt, facere haud detrectantes. Illud ante omnia agat princeps, ne quid ipsi excidat, quod non omnes virtutes spirare videatur. Homines enim specie et colore rerum magis, quam rebus ipsis moventur. Videndi facultas omnibus propria est, sentiendi paucis. Nemo non videt, qualis appareas: pauci, qui sis, perspiciunt: hi autem non audent reliquorum opinioni adversari. Omnium hominum, maxime principum, actiones ab eventu notantur. Hi autem, quo modo imperium tueantur, modo tueantur, nihil refert. Semper honore laudibusque digni existimabuntur. Ducitur namque vulgus recti specie: inque toto terrarum orbe nihil fere nisi vulgus invenias.

Quicunque igitur princeps, hoc modo, contemptum et odium fugerit, is omnes officii sui partes impleverit, neque a ceteris infamiae notis ullum periculum sibi metuat (1). Subditorum enim aut amorem sibi, aut certe cum reverentia coniunctam existimationem comparaverit. Quibus si rite ordinata militia accesserit, omnino erit securus. Uti enim haec eum

ab

(1) Cap. XIX.

ab hostium irruptione defendet, ita illa ipsum a subditorum coniurationibus tuebuntur. Multi principes, quo magis regnum muniant, arces erigere solent, quibus tum coerceant illos, qui in se aliquid moliri tentent, tum adversus primum quemque impetum perfugio utantur. Omnium autem firmissimo propugnaculo fruentur, *populi odia si caveant* (1). Qui enim in illud incurrit, eum ne munitissimae quidem arces iuvabunt: contra, qui capax imperii, ingens animi, in rebus adversis fortis, alacritate et institutis suis universum populum bene animatum servaverit, haud ille se unquam ab eo deceptum intelliget, sentiet vero optima sese iecisse diuturnae potentiae fundamenta (2).

Omnis contra historia docet, principes, qui regno pulsi sint, hoc vel odio vel contemtui debuisse, quo subditi vel cives ipsos prosequerentur. Huic causae eorum Imperatorum Romanorum, qui inde a Marco philosopho ad Maximinum usque imperium amiserunt, interitus tribuendus est (3). Neque aliter profecto de iis principibus iudicamus, qui, in Italia, Gallorum adventu, oppressi sunt: quique, uti alii plebi, alii optimatibus magis invisi erant, ita omnes hoc commune habebant, ut ab re militari vehementer laborarent (4). Modo vero quis ea se prudentia gesserit, quam princeps, cuius imaginem adumbravimus, omni agendi ratione re-

(1) Cap. XX. (2) Cap. IX.
(3) Cf. Cap. XIX. cll. Discors. Lib. I. Cap. X.
(4) Cap. XXIV.

referet, eius novum regnum brevi antiquo comparari poterit: quin illo securius etiam firmiusque erit. Omnium enim oculi in novum principem conversi sunt: cuius res gestae si excellere videantur, magis homines ipsi devincire solent, quam ipsa stirpis antiquitas. Praesentibus enim, quam praeteritis, rebus magis capiuntur: atque in iis rebus, in quibus commodum suum inveniunt, ita facile acquiescere solent, ut nunquam principi defuturi sint, qui sibi ipse in omni vita haud defuerit.

CAPUT III.

Quare, omissis antiquis regnis, de principatu et principe novo unice disputavit Machiavellus?

Primarium Machiavelli consilium fuit, hoc opere docere, quibus modis novum regnum firmitate et diuturnitate antiquo simile reddi posset. „Quae „supra memorata sunt" ita disputationem concludit, „si bene observentur, novum principem „antiquo similem, et firmiorem adeo securiorem„que reddent, quam si imperium a maioribus ipsi „traditum fuisset." Ante omnia autem opusculum legentes mirari subit, cur in ipso de novo principe perpetua fere mentio fiat: de antiquo vero regno tam pauca dicantur. Age, in huius rei causas altius inquiramus: forte investigabimus nonnulla, quae nobis verum et, libri rationem et, auctoris mentem declarabunt magis.

Unam

Unam ipse causam initio affert. Haereditaria enim regna cum ipso iure acquirantur, levique operâ ita serventur, ut, nisi vis quaedam maior aut summa imprudentia accedat, vel mediocri principi secura sint; nequaquam peculiaria praecepta aut accuratam explicationem requirere videbantur. Itaque Machiavellus principem illud unum monet, ne temere antiquam regni disciplinam mutet, utque temporibus se accommodet et odium sui evitet. Quibus praeceptis omnem civilem haereditariorum regum prudentiam contineri affirmat. Sic enim facile iis erit, pacatum regnum retinere (1). Huius autem animadversionis probabilitatem omnium fere temporum memoria celeberrimorumque virorum testimonium comprobavit (2). Quorum Hallerus auctor nobis est, se, institutâ diligentissimâ causarum, quae aut bellis civilibus aut

(1) Cf. Caput II. cll. Discors. lib. III. Cap. V, VIII, IX; Ist. fior. Lib. IV, ubi haec legimus: „ Giovanni rispose; „ che l'ufficio d'un savio e buono cittadino credeva essere, „ non alterare gli ordini consueti della sua città, non „ sendo cosa che offenda tanto gli uomini, quanto il va- „ riare quelli: perchè conviene offendere molti, e dove „ molti restano malcontenti si può ogni giorno temere di „ qualche cattivo accidente, " et Lib. VII, qui haec habet: „ Gli uomini di far le cose, che sono di far „ consueti, mai non si dolgono, le nuove, come presto „ si pigliano, così ancòra presto si lasciano; e sempre fà „ più facile mantener' una potenza, la quale con la lun- „ ghezza del tempo abbia spenta l'invidia, che suscitarne „ una nuova, la quale per moltissime cagioni si possa „ facilmente spegnere. "

(2) Cf. e. g. Rehberg. loco saepius laud. pag. 63.

aut magnis rerum perturbationibus ansam praebuerint, inquisitione et comparatione, invenisse; nullas fere seditiones adversus ipsum principem eiusve iura factas esse propter iniurias; quamvis frequentissimas, quibus singuli tantum cives laesi fuissent; sed omnes e malis exstitisse, quae universum populum premerent (1). Haec autem Machiavelli princeps, qui ne minimum quidem sui odium excitare velit, sedulo fugiet.

Etsi igitur paucissimis verbis accurate gravissimam sententiam expressisse videatur Machiavellus, neque profecto illa aetate antiqua regna iis periculis exposita essent, quae hodie iis immineant, multa tamen, in primis de modo, quo, in singulis causis, temporibus prospiciendum aut serviendum sit, disserere potuisset: quod certe fecisset, si illud proposito ipse suo convenire censuisset. Ergo aliam insuper causam exquiramus. Quo magis enim Halleri doctrina cum Machiavelli sententia convenit, eo mirabilius est, ipsum vituperasse auctorem nostrum, quod in re tam facili tantam operam consumserit (1). Scilicet parum attendit, Machiavellum diserte monere, se omnem de an-

(1) *Handbuch der algemeinen Staatenkunde.* Winterthur. 1808, p. 119, not. 18.

(2) l. l. » Man sieht hieraus, wie leicht es ist den in- » nern Frieden zu erhalten, und wie viel unnöthige Mühe » sich Machiavell über diesen Punkt gegeben hat." Errorem iam notavit Rehberg. l. l. p. 66. Cf. Haller. p. 103, ubi melius: » Machiavell scheint » ait" nach den Zeiten, » in denen er lebte, nur Usurpatoren im Auge gehabt » zu haben."

antiquis regnis disputationem omittere, quoniam non arte et humanâ solertiâ, sed tantum nostrâ supinâ negligentiâ et solâ naturae moramque constantiâ retinentur. Nobis autem reputandum est, regia illa imperia, quae in ceteris fere Europae partibus e Germanorum moribus et institutis effloruerunt, quorumque naturam nemo *Hallero* et perspexit sagacius et disertius declaravit, nusquam in Italiâ exstitisse. In Neapolitana quidem regione talis regni semina iacta sunt: cum vero inde ab initio continuis regiarum stirpium mutationibus et bellis de regni successione gestis sollicitaretur, mox turgescere coepit nobilium insolentia, imperiumque semper mansit peregrinum, militare et novum. Ceterorum vero Italicorum regnorum si originem ac naturam indagamus, hasce fere omnibus communes invenimus. Sponte orta sunt ex perpetuis istis factionibus, quae singulas regiones, civitates, familias dilacerarent. Hae à vetustissimis inde temporibus e privatae vindictae studio et publicae coercitionis absentiâ repetendae sunt (1); et sensim ita creverunt, ut per plura sae-

(1) Cf. egregia Garvii disputatio ad locum Ciceronis de officio erga inimicos, in Animadv. de Cic. lib. de Off. Vol. II p. 239 sqq. Ed. II Bresl. 1784. Optime naturalem factionum illarum originem et progressionem referre videtur Mach. Disc. Lib. I, Cap. VII. » Primò, inquit, » nasce offesa da privati a privati, la quale offesa genera » paura, la paura cerca difesa; per la difesa si procacciano i » partigiani, da i partigiani nascono le parti nelle città, » dalle parti la rovina di quelle.«

saecula viguerint, communi libertatis tuendae studio vix remitti, nedum exstingui potuerint (1), gentiles vicinarum civitatium civilesque barbarorum populorum discordias lubenter susceperint diligenterque foverint (2). Maxime autem inexpiabili nobiles inter et plebem odio cernebantur (3).

Serp-

(1) Cf. omnino Hallami *View of the state of Europe during the middle ages* Vol. I (Lond. 1819). p. 565. „Iealousies, inquit, long existing between the different clas-„ses, and only suspended by the national struggle which „terminated at Constance, gave rise to new modifications „of interests, and new relations towards the empire. „About the year 1200, or perhaps a little later, the two „leading parties which divided the cities of Lombardy, „and whose mutual animosity, having no general subject „of contention, required the association of a name to „direct as well as invigorate its prejudices, became dis-„tinguished by the celebrated appellations of Guelfs and „Ghibelins. These names were derived from Germany, „and had been the rallying word of faction for more than „half a century in that country, before they were trans-„ported to a still more favourable soil." Quam diu durarint, inquirit idem p. 368 in nota.

(2) Gentilitii illius odii, quod in alia civitate ortum ad aliam manavit, exempla praebuerunt Gieremei et Lambertazzi Bononiae (Sismond. III p. 22): Viscontii et Gherardescae comites Mediolani (idem l. l. p. 24): Cancellieri et Panciatichii Pistoiae, qui factioni tum Nigrorum et Alborum tum Cerchiorum et Donatorum in Florentiae civitate originem dederunt (idem l. l. p. 118 sqq. Hallam. l. l. p. 595. Macch. Istor. fior. l. II init.) ut multas alias taceamus.

(3) Cf. Sismond. T. III, p. 91, 89, 117, 164. Ultimis viginti saeculi XIII annis Bononiae, Patavii, Bresciae, Pisis, Genuae, in omnibus denique liberis civitatibus nobiles muneribus publicis in perpetuum exclusi sunt. Idem p. 165. Hallam. p. 588 sqq.

Serpsit hoc malum longe lateque per universam Longobardiam, Romaniam, Marchiam et Tusciam: neque vero eae res publicae, quae libertatem ceteris diutius servaverunt, si Venetos exceperis, illo caruerunt. Sed hasce et ingentes opes, mercaturâ paratae, indeque orta divitum civilitas et melior civitatis disciplina ab interitu vindicaverunt. Reliquas pessima sors mansit. Ubique enim plebs vel nobiles, diversis quidem temporibus, sed tamen ubique, aut ipsi ad unius potentioris sive civitatis, sive peregrini, sive civis imperium, tanquam ad unicum intolerabilium malorum remedium, confugerunt, vel ab audacissimo vicino oppressi sunt. Quo factum, ut eae Longobardiae urbes, quae in illâ cum Frederico Imperatore belli contentione tam praeclara libertatis amoris documenta dedissent (1), medio saeculo post Christum natum decimo quarto, huius ne desiderium quidem retinuerint: et infinitis liberis civitatibus, singuli perpetua potestate cives praefecti sint, qui Graecis *τύραννοι*, Italis *Signori* dicebantur (2). Horum vero alii, temporum successione,

vi-

(1) Merito tamen Hallamus l. l. p. 395: „ In the earlier „ stages, ait, of the Lombard republics, their differences, as „ well mutual as domestic, had been frequently appeased by „ the mediation of the emperors: and the loss of this salutary „ influence may be considered as no slight evil attached „ to that absolute emancipation, which Italy attained in „ the thirteenth century. "

(2) Cff. omnino Hallam. Vol. I p. 402 sqq: Tillierii *Geschichte der Europäischen Menschheit im Mittelalter*; Vol. I. Lib. III. Cap. V. passim. imp. p. 540 sq: Sismond. Vol. VI, p. 18. Vol. VIII, p. 269.

vice sua alios sedibus expulerunt (1), vel a potentioribus civitatibus aut tyrannis debilitati et oppressi sunt (2). Et, quo tempore Machiavellus opusculum *del Principe* composuit, Italiae imperium ad tam paucos, peregrinos maxime, pervenerat, ut ex illis principibus, qui novo regno possessionis diuturnitate antiquitatis quandam speciem conciliaverant, praeter gentem Estensem et Gonzagas, nulli superessent (3).

In solâ Romaniâ terrâ et Ecclesiae patrimonio principes fere totos armorum studio sese dederant. Etenim a militiâ gerundâ sensim sensimque alieni facti erant Italorum animi: quod partim rebus publicis tribuendum erat, quorum cives divitiis et otio abundantes, aut mari tantum belli fortunam experiri cupientes, mercenariis copiis sui defensionem committere maluerunt, quam ipsi suscipere; partim vero e peculiari rei militaris ordinatione, civilibus plerorumque nobilium studiis, et Pontificum praesentia, qui alienis copiis indigebant semper, repetendum videtur (4). Hinc primum peregrinis ducibus et militibus uti coeperunt, Catalaunis, Germanis, Gallis,

(1) Hallamus p. 403 *in not.* Sismond. Vol. III p. 330.

(2) Sic cuncta Longobardia sensim sensimque in Mediolanensium tyrannorum et Venetorum; Tuscia in Florentinorum, Romania in Pontificum manus pervenit.

(3) De illis operae pretium est conferre Sismond. T. III p. 330 – 332. Vol. VI p. 18, 19.

(4) De militiae illa aetate in Italia conditione multa et egregia habent Sismond. Tom. VI Cap. LVIII p. 57-48. Auctor disputat. de Machiavello in opere critico Edimb. saepius laud. Hallam. T. I p. 490 – 514. Tillerius l. l. p. 86.

lis; Anglis: deinde vero totus hic quaestus ad Italos pervenit. Quorum Albericus Barbianus primus fuit, qui exercitum, ex solis popularibus constantem, coegerit: ex cuius disciplinâ celeberrimi quique copiarum praefecti (*condottieri* vocabantur) exstiterunt. In primis autem illud non tam laudis, quam fraudis, rapinae, omnium denique malarum artium iter persequebantur nobiles Ecclesiae vasalli, Ursini, qui ad occidentem Tiberis in sancti Petri patrimonio, Colonnae, qui ad orientem et meridiem fluminis in terrâ Sabinâ et Campaniâ dominabantur. (1). Horum signa Savellii, Contii, Sanctocrucii, exemplum autem, omnes illi urbium in Ecclesiae regionibus sitarum tyranni, circumiacentiumque agrorum domini sequi solebant, Varanii, Foglianii, qui maximam Marchiae partem sibi subiecerant; Vitellii, Baglionii, Ordelaffii, Malatestes, quorum fere omnium tam frequens in Machiavelli scriptis, legationibus in primis, mentio occurrit. Hi familias suas ducum, agros vero militum seminaria fecerant: inter sese haereditaria et perpetua odia fovebant: Pontificis auctoritatem pro lubitu vel agnoscebant vel repudiabant, aliarum civitatum stipendia mereri, gravissimarumque saepe rerum arbitrium agere solebant: periculosi Neapolitani Regis, Romani Pontificis, atque rei publicae Florentinae vicini et erant et existimabantur: donec tandem Caesaris Borgiae et Iu-

(1) Cf. de hisce gentibus Gibboni *Hist. of the decl. and fall* etc. cap. LXIX.

Iulii II audaciâ ac perseverantiâ eorum insolentia fracta fuit (1). Quantum enim cohortum illarum praefecti eâ aetate potuerint, e Sfortiarum exemplo optime cognoscitur. Qui primus cognomen hocce ex ingenti fortitudine traxit, Attendolus, relicto aratro, ad fastigium dignitatis atque honoris apud Neapolitanos reges adscendit, novumque sibi in Sancti Petri patrimonio regnum paravit: filius autem Franciscus, masculâ Viscontiorum stirpe exstinctâ, totius Longobardiae tyrannidem occupavit.

Itaque reges, qui Germanicae originis gentibus praeerant, imperio gaudebant, quod non a populo ad ipsos delatum erat, sed ipso saepe populo antiquius sponte ex magnis agri possessionibus et tutelae facultate exstiterat. Hoc igitur et uni Deo acceptum referebant, et patrimonii instar possidebant, et suo jure post mortem transferebant ad alios. Sed Itali principes fere e privata conditione ad regnum pervenerant: quod aut populus in eos contulerat, cuius nisi libertatem, at maiestatem saltem agnoscebant (2), aut ipsi vi et sceleribus sibi paraverant. Quamquam haec vis neque in eâ aberat regni constitutione, quae populi consensu facta esse dicebatur. Non enim universa civitas patriae custodem, sed plebs vel nobilitas suae quaeque factionis vindicem eligebat. Deinde non nisi sensim sensimque vi et tacitâ civium vo-

(1) Cf. Sismond. Vol. IX. Cap. C. p. 254 sqq.

(2) Cf. Sismond. Vol. III. Cap. XXVI. pag. 193 — 196.

voluntate introductum fuit, ut regnum haereditario iure ad defuncti descendentes perveniret (1).

Quidni ergo, cum talis esset cunctorum in Italia regnorum origo et natura, statuamus, Machiavellum, de unius imperio muniendo cogitantem, hasce et respexisse perpetuo et expressisse plane? Modo enim cum iis, quae monuimus, argumenti distributionem conferamus, totam auctoris de variis principatibus disputationem ex Italicorum imperiorum indole ductam esse, statim animadvertimus. Quae uti omnia vel mixta erant, ita ut difficilius coalescerent et regerentur (2), vel plane nova; uti plebis vel nobilium favore nitebantur, aut propriis armis, aliena fortuna, sceleribusve parta erant aut religionis tuendae causa constituta: ita singula haec genera, omissis ceteris, recenset, clarissimis ex antiquitate et Italiae historia exemplis illustrat, et, quo modo alia eorum aliter a principe administranda sint, edocet. Idem de civili imperio disserens, quamvis eas non nominet, Itali-

ca-

(1) Cf. Sismond. Vol. V. p. 341. Ante Viscontiorum aetatem, qui fine saec. XIV Imperatoris Wenceslai concessione e tyrannis facti sunt *naturales* Longobardiae *domini*, nullo principes gavisi fuerant haereditario iure, quod non vi, ficta populi consensione sancita, niteretur.

(2) Gravissimis Machiavelli de mixtis imperiis animadversionibus, quae Cap. III. occurrunt, cum recentissima historia mire convenit, tum comparandus est Aristoteles. πολιτ. E. pag. 191. *Στασιωτικὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ· ὥσπερ γὰρ οὐδ᾽ ἐκ τοῦ τυχόντος πλήθους πόλις γίγνεται, οὕτως οὐδ᾽ ἐν τῷ τυχόντι χρόνῳ.*

earum civitatium originem et naturam accurate tradit (4). „Acquiritur, inquit, imperium illud vel plebis vel nobilium favore. In omni enim civitate haec duo inter sese dissidentia studia insunt, inde orta, quod plebs ab optimatibus regi atque opprimi nolit; hi vero illud vehementer contendant. Ex hisce contrariis elementis aut unius imperium exsurgit, aut libertas, aut licentia. Principatum plebs vel nobiles inducunt."

(4) In hac enim regione omnes fere civitates tum tyrannides *urbem* referebant: e qua origine peculiaris eorum natura explicanda est, ut vere vidit et egregie docuit Sismond. Vol. III. Cap. XXIX. p. 338 – 341. „Le système féodal, inter alia animadvertit, fut aboli plus tôt en Italie que dans aucune autre partie de l'Europe. Au commencement du quatorzième siècle il ne restoit plus à ce système aucune consistance, quoiqu'il fût encore enseigné par les Jurisconsultes comme formant la loi de l'état. Les républiques, si multipliées d'abord dans toute l'Italie ne s'étaient pas longtems maintenues; et nous avons déjà vu l'asservissement de presque toutes celles de la Lombardie et de l'état de l'Eglise. Mais les nouveaux seigneurs qui les gouvernoient, et qui prirent ensuite les titres de ducs et de marquis, ne devoient point leur pouvoir à cette antique constitution du Nord, qui a donné naissance à la noblesse dans tout le reste de l'Europe: ils étoient les enfans des villes dont ils avoient usurpé la souveraineté, et toute leur autorité leur venoit du peuple. La démocratie, qui précéda ces seigneuries, avoit donné un caractère plus absolu et plus despotique au gouvernement d'un seul: car elle avoit nivelé devant les princes tous les rangs de la nation, et elle avoit détruit tous les privilèges des ordres qui auroient pu mettre obstacle au pouvoir arbitraire."

„ cunt. Hi, cum vident se populo resistere non „ posse, omnem existimationem in aliquem sui „ ordinis conferunt, quem principem faciunt: ut „ eius obtentu suas tuto possint explere animi „ cupiditates: plebs vero civem in regnum evehit, „ ut defensione ac praesidio eius adversus nobi„ lium insolentiam utatur. Plebis igitur finis ho„ nestior multo est; nobilibus opprimere, ceteris, ne „ opprimantur, studentibus (1)." Duas hasce in omni civitate adversas sibi factiones per totum opus respicit Machiavellus: sed principi ea praecepta tradit, quibus et nobiles regat et plebis amorem sibi conciliet (2). Ubi autem de scelesta ratione agit, quâ regnum acquiri possit, aut de imperio, alienis opibus parto, propriâ virtute firmando, aut denique de propriâ militiâ, optimo ad principatum condendum instrumento, Oliverotti Firmani, Caesaris Borgiae, Francisci Sfortiae, qui omnes ipsius aetate aut paulo antea floruerant, vitae et res gestae amplissimam ipsi ad disputandum materiem praebent (3).

Mix-

(1) Cf. Cap. IX.

(2) Cf. v. c. Cap. XIX. „ Gli Stati bene ordinati, e li „ Principi savi hanno con ogni diligenza pensato *di non* „ *far cadere in disperazione* i Grandi, e di satisfare al „ Popolo, e tenerlo contento, perchè questo è una delle „ più importanti materie che abbi un principe." Cap. XXIV inter causas, cur regno spoliati sint Italiae principes, enumerat, quod » alcun di loro o avrà avuti nimici i popo» li, o se arà avuto amico il popolo, non si sarà saputo » assicurare de' grandi." Cf. Cap. IX. Idem argumentum latius persequitur, Discors. Lib. I. Cap. IV, V, XVI, XXXVII, XL e XLVI et Istor. Fior. Lib. III. init.

(3) Cf. Cap. VII et VIII.

Mixti autem imperii cum speciem plane referret Mediolanensis civitas, Galliae regno adiuncta, quippe quae neque eadem regione contineretur et lingua, moribus, institutis uteretur prorsus diversis; hoc argumentum ita tractavit, ut, enumeratis et exploratis causis, quibus Ludovicus XII sua aetate bis Longobardia pulsus esset, simul doceret, quomodo is agere debeat, qui talia imperia cupiat retinere (1).

Gravissimum denique illum de militia locum, qui primas fere in universa disputatione partes occupat, ortum esse ex consideratione malorum, quae ex illius artis negligentia Italia experta esset, quis dubitet affirmare? Quae quomodo senserit, vel ex iisce verbis intelligere licet, quibus eorum originem tradidit et progressus indicavit, quo posset iis mederi efficacius. „Notum est, inquit, fracta Romanorum Imperatorum, auctaque Pontificum potentia, Italiam in multas civitates divisam esse. Celebriores enim urbes arma contra nobiles sumserunt, qui eas, Imperatorum favore adiuti, oppresserant. Harum nonnullae in suorum civium ditionem cesserunt, aliae a Pontificibus auxilium acceperunt, inde sibi vim et auctoritatem in profanis rebus sperantibus. Sic factum, ut cum Italicarum rerum gubernatio ad Pontifices nonnullasque res publicas devenisset, hae autem non minus quam illi omnino belli expertes et ignarae [illegible] es-

[illegible]

(1) Cf. Cap. III. cll. omnino fragmentis historicis, Opp. Vol. IX pag. 300 sqq. Idem dicendum de argumento capitis V.

„ essent, stipendia omnes militibus peregrinis solvere
„ coeperint. Primus huic militiae existimationem con-
„ ciliavit Albericus Comensis: ex cuius disciplinâ
„ Braccius et Sfortia provenerunt, qui per totam
„ vitam Italiae arbitri fuerunt. Hos reliqui omnes,
„ qui ad nostram usque memoriam res bellicas in
„ patriâ nostrâ procurarunt, secuti sunt: quorum
„ virtuti debemus, ut Carolus eam vastaverit,
„ Ludovicus diripuerit, Ferdinandus oppresserit,
„ Helvetii deformaverint " (1).

CAPUT IV.

Quodnam Machiavelli in condendo opusculo propositum fuisse videtur?

Machiavelli ad amicum Vettorium epistola omnibus probavit, eum opusculo *del Principe* condendo ingenii, doctrinae et experientiae fructus proferre, solitudinisque tristitiam exhilarare voluisse: dedicando autem illo, Mediceorum sibi favorem conciliare studuisse. Cui ultimae causae cum plerique Interpretes tantum non omnia in diiudicando opere tribuerint, mihi parum tribuendum videtur. Nam neque inhonestum consilium erat: et hodie ne dubitari quidem potest, quin auctor non certi cuiusdam principis utilitatem respexerit, qui clam libro eius tanquam instrumento ad perversa quaeque consilia perficienda abute-

re-

(1) Cap. XII.

retur, sed universam de novo regno, in Italiâ muniendo, materiam viâ ac ratione pertractaverit: ita ut omnia praecepta non Mediceos magis quam quosvis alios spectarent. Fuerunt, qui brevem eius et fere exilem de pontificio imperio disputationem mirarentur, cui in ceteris operibus omnes Italiae calamitates tribuere solet. Veluti in commentariis Livianis, ubi memorat, quantâ curâ Romani in animis civium religionis sensum excitarent et alerent. „ Hunc, ait, si „ Principes Christiani secundum divini auctoris „ praecepta servassent, Christianae civitates lon„ ge maiore concordiâ et felicitate fruerentur. „ Nulla enim certior de Ecclesiae ruinâ coniectu„ ra fieri potest, quam si videmus, gentes, quo „ viciniores Romanae Ecclesiae, cultûs nostri di„ vini capiti, habitent, eo minore religione duci „ solere. Et qui cum praesenti religionis statu ve„ ra eius instituta et fundamenta confert, is sine „ dubio eius aut interitum aut poenam instare ar„ bitrabitur. Quoniam vero nonnulli existimant, „ omnem Italiae florem ab Ecclesiâ Romanâ re„ petendum esse, ego, duabus causis adductus, „ quae mihi rem conficere videntur, contrariam „ sententiam propugnabo. Prima in eo sita est, „ quod pessimis huiusce aulae exemplis omnis „ in Italorum animis exstinctus sit pietatis re„ ligionisque sensus. Unde incredibilis licentia et „ innumera mala orta sunt: uti enim, ubi religio „ viget, ibi omnia bona existere sponte puta-

„ mus

„ mus, ita, deficiente illâ, reliqua etiam defice-
„ re existimamus. Itaque, quod impii atque im-
„ probi sumus, totiusque Italiae excidium factum
„ est: utrumque hocce Ecclesiae et Italis nostris
„ sacerdotibus acceptum referimus. Etenim illa
„ communem patriam in varias regiones et di-
„ visit semper et adhuc dividit. „ *Nulla au-*
„ *tem gens concors unquam et felix fuit, nisi*
„ *tota unius rei publicae vel Principis imperio ce-*
„ *deret, ut Franciae et Hispaniae accidit* (1).
„ *Hoc vero, solius Ecclesiae culpâ, Italiae haud ob-*
„ *tigit*. Nam cum Pontifices in nonnullas regio-
„ nes imperium sibi acquirerent, nec tantas vires
„ nacti sunt, ut reliquam Italiae partem sibi subii-
„ cere potuerint: neque adeo debiles fuerunt, quin
„ exteros sibi advocare possent, qui eos adversus
„ quamcunque tandem altius sese exserentem in Italia
„ potentiam defenderent. Multa illud tum vetusta,
„ tum recentia exempla docuerunt. Nam et Ca-
„ roli Magni auxilio Longobardi Italiâ pulsi sunt,
„ cui fere toti imperabant, et, nostrâ aetate, Gal-
„ lorum ope, Venetorum auctoritas fracta est:
„ iidemque deinde Galli, Helvetiorum copiis, ex-

„ ter-

(1) Cf. omnino Disc. L. I. Cap. LV. » Sè in quelle pro-
» vincie (la Francia e la Spagna) non si vedono tanti dis-
» ordini, quanti nascono in Italia ogni dì, deriva non
» tanto dalla bontà de' popoli (la quale in buona parte è
» mancata) quanto dallo avere uno Rè che gli mantiene
» uniti, non solamente per la virtù sua, ma per l'ordine
» di quelli Regni che ancòra non sono guasti."

„ terminati sunt. Itaque Ecclesiae culpâ, quae
„ neque ipsa universam Italiam occupare potuit,
„ neque alteri eandem sibi subiicere permisit,
„ haec regio nunquam sub unius dominationem
„ redacta fuit, sed variis principibus et tyrannis
„ semper paruit, unde tanta discordia tantaque
„ infirmitas orta est, ut non solum potentissimo-
„ rum barbarorum, sed etiam primi cuiusque
„ adgredientis praeda evaserit. Quod nos Ita-
„ li nemini alii, nisi Romanae Ecclesiae, debe-
„ mus. Cuius rei veritatem qui certo quodam
„ documento cognoscere cuperet, eum tam po-
„ tentem esse oporteret, ut Romani Pontificis au-
„ lam, cum omni, quâ haec polleat in Italiâ
„ auctoritate, ad Helvetiam habitandam cogere
„ posset: quae sola gens hodie et sincera re-
„ ligionis instituta et veterem rei militaris dis-
„ ciplinam servat. Certum enim est, si id fie-
„ ret, mox depravatos istius aulae mores in
„ illâ regione plures turbas maioremque licen-
„ tiam excitaturos esse, quam aliam quamcunque
„ calamitatem, quae ullo ibi tempore accidere
„ posset (1). "

Haec igitur similiaque legentes multi Machiavelli de iisdem rebus silentium eo loco, ubi datâ operâ eas aggressurus videbatur, ipsius metui, ne molestus Mediceorum reprehensor videretur, tribuerunt. Quae tamen suspicio statim corruit, modo re-

(1) Cff. Discorsi, Lib. I. Cap. XII.

reputemus, in eo opere, quod Clementis VII iussu confectum, ita nomini inscriptum et consensu editum est, quo tempore Ecclesia gravissimis dissensionibus sollicitaretur, in hoc igitur opere, innumeris locis, Pontificum auctoritati et imperio gravissima quaeque Italiae mala adscribi. Itaque melior huius rei ratio afferri debet, quae ex ipso opusculo petenda est, neque exquirentes nos latebit.
„ Sacri, inquit Machiavellus, principatus, aut
„ animi aut fortunae vi acquiruntur (*s'acquistanò*
„ *o per virtù o per fortuna*): neutrius tamen
„ operâ conservantur. Religionis enim instituta
„ illos sustinent, quae adeo cum moribus coalue-
„ runt, ut omnia omnino possint, et principes,
„ quomodocunque sese gerant, in imperio tueantur.
„ Hi igitur uni omnium regno praesunt, quod non
„ defendunt, subditis, quos non regunt: neque
„ tamen imperia, quod indefensa sint, iis auferun-
„ tur, nec populus, quod non regatur, multum cu-
„ rat, aut rectoribus se suis subtrahere vel cogitat
„ vel potest. Istae igitur ditiones solae securae et bea-
„ tae sunt. Cum vero coelesti quodam numine regan-
„ tur, ad cuius divinitatem mens humana nequeat ad-
„ spirare, fusius de iis quaerere omitto. A Deo
„ enim eriguntur et sustinentur: itaque de iis dis-
„ serere importunum et temerarium foret (1). "

Ergo, quae causa Machiavello fuit antiqua imperia verbo tantum memorandi, eadem magis etiam hic

(1) Cap. XI.

hic exstitit. Uti enim illa facili, ita haec nullâ operâ servantur. Disputationis autem propositum, quod in indicandis optimis modis, quibus *serventur* regna, in primis versatur, hic nullum adesat. Deinde sacri imperii natura peculiaris prorsus est: non enim novis magis quam antiquis regnis accenseri potest: ita ut in opusculo de novo principatu eius mentionem tantum iniecisse videatur Machiavellus, ut ne aliquod in Italiâ regnum omitteret. Quae Cap. XIX leguntur, hanc opinionem confirmant. „ Animadvertendum est, in„ quit, Turcici Imperatoris imperium a ceteris „ principatibus longe diversum esse. Simile enim „ est Christianorum Pontificatui: quem nec hae„ reditarium regnum nec novum dicere possumus. „ Non enim defuncti principis filii in regnum et „ patrimonium succedunt, verum ii, qui ad hanc „ dignitatem ab illis evehuntur, penes quos huius „ rei ius est. Cumque inveteraverit haec disci„ plina, novus principatus dici non potest. Ne„ que in illis earum difficultatum ulla apparet, „ quibus hic premi solet. Quamvis enim Prin„ ceps sit novus, instituta huius regni antiqua „ sunt, atque ita ordinata, ut qui recens ad im„ perium accedat, iis niti possit, ac si haeredita„ rio iure illud adeptus fuisset."

Missis igitur externis istis rebus, auctoris consilium in condendo hoc opere ex ipsis eius scriptis et aetate eruendum est.

Elegantissimi illius de belli disciplinâ dialogi con-

consideratio nobis iam veram Machiavelli de principibus, qui eius aetate aut paulo antea in Italia regnaverant, sententiam aperuit (1). Nunc poetam audiamus, in Decennalium fine (2), postquam acceptam a Venetis ad Vailam cladem cecinerat, ita in eosdem invectum:

„ *Che fia degli altri, se questo arse ed alse*
„ *In pochi giorni, e se a cotanto impero*
„ *Giustizia e forza ed union non valse?*
„ *Gite superbi omai con viso altiero*
„ *Voi, che gli scettri e le corone avete;*
„ *Che del futuro non sapete il vero.*
„ *Tanto v'accieca la presente sete,*
„ *Che grosso tienvi sopra gli occhi un velo;*
„ *Che le cose discosto non vedete.*
„ *Di quinci nasce, che il voltar del cielo*
„ *Da questo a quello i vostri stati volta*
„ *Più spesso, che non muta il caldo e'l gielo.*
„ *Che se vostra prudenza fusse volta*
„ *A conoscere il male, e rimediarvi,*
„ *Tanta potenza al ciel sarebbe tolta.*"

Qui versus totum fere mihi libelli *del Principe* argumentum exprimere videntur. In quaestionibus autem Livianis populorum vitia principibus imputat Machiavellus, sive, quod hi criminum poenas exigere negligerent: sive quod iisdem, atque improbi subditi, sceleribus sese macularent. Quod aetas eius omnino probare videbatur. Cum enim Romania, ante quam hu-

(1) Cf. Lib. I. Cap. III. pag. 101 sq.
(2) Cf. Decenn. II. Opere Vol. VIII. pag. 534.

huius regionis tyranni ab Alexandro VI exstinguerentur, plena esset latrociniis, quotidianisque caedibus et rapinis, huius rei causa neutiquam in natura loci, ut quidam illo tempore putabant, sed unice in principum malitiâ sita ipsi videbatur. Qui pauperes erant et nihilominus splendide et magnifice vivebant, idcirco omni licentiae sese dabant. Nam, ut reliqua omitteret, haec insignis erat illorum malitia, quod, cum lata lege quippiam publice interdixissent, ipsi deinde primi essent, qui in promulgatam a se legem peccarent, ut ceteros in eandem fraudem pellicerent. Neque eorum etiam, qui aliquid deliquissent, quempiam puniebant, nisi esset magnus illorum numerus: tunc demum, non iustitiae tuendae causâ, sed praedae cupiditate moti, ad legis vindictam procedebant. Quo factum, ut assiduis illis mulctis expilati homines ad paupertatem redigerentur: atque hinc impellerentur ad vexandos alios, quibus existimarent sese viribus esse superiores: quo quidem modo vitia non emendabantur, sed ad ea instituebantur homines. Haec omnia prava tyrannorum effecit natura (1).

Exstat elegantissimus Castiglionii de aulico (*del Cortegiano*) dialogus (2): qui in Urbini ducis, politissimi Italiae principis, palatio habitus esse fin-

(1) Disc. Lib. III. C. XXIX.

(2) *Il libro del Cortegiano* del Conte Baldessar Castiglione. Vol. II. Mediolan. 1803.

fingitur; in quo non perfecti magis aulici exemplar, quam suos ipse mores expressisse censetur. Nam et nobilissimâ stirpe ortus erat, et inde a tenerâ iuventute in principum, tam Italorum quam exterorum, familiaritate vixerat: quorum per totam vitam egregiis suis animi ingeniique dotibus eundem ipse expertus favorem est, qui post mortem in universâ Europâ libro eius contigit. Hoc igitur opusculum, circiter annum 1521, ut videtur, scriptum et summâ animi voluptate legere solemus propter exquisitam eius elegantiam et liberalem antiquitatis imitationem, et vero lubenter cum Machiavelli libello comparare. Ambo enim scriptores coniunctim accuratam nobis Italorum principum, qui eâ aetate exstiterunt, imaginem exhibent. Nam si, recentes a Machiavelli lectione, abominamur fere toto animo perfidiam, crudelitatem, omnes denique malas artes, de quibus inter sese certabant principes, mirum in modum recreat nos et reficit Castiglionii libellus, e quo discimus, quod multorum testimonio comprobatur (1), quanta humanitas, quam excultum artium literarumque studium in illis aulis fere regnaverit, quarum principes in regno administrando nullam immanitatis turpitudinisque infamiam fugere solebant. Quamquam et ipse, unus sane omnium intelligentissimus iudex, magis magisque corruptos esse aulicorum mores dolet, et de plerisque, qui eius aetate regnarunt, principibus haud ali-

(1) Cf. omnino Sismond. Vol. IX. Cap. L. p. 254 sqq. in primis, pag. 260 et 261.

aliter ac Machiavellus pronuntiat. Est sane operae pretium, viri opinionem cognoscere. „ Illorum vitio„ rum, inquit, quae hodie multis principibus nos„ tris propria sunt, ignorantia et insolentia, quibus „ laborant, gravissima sunt habenda. Horùm fons „ in *mendacio* situs est, quod eo magis principibus „ nocet, quo magis indigeant familiari, qui iis verum „ dicat et bonum in mentem revocet. Sed amici fere „ eorum unice voluptatibus inservire student. Ita„ que adulatores evadunt: a quâ familiaritate ut „ maximum sibi commodum pariant, confugiunt „ ad omnis generis mendacia, quae in principis animo „ non externarum solum rerum, sed, quod longe „ peius est, sui ipsius *ignorantiam* excitant: quo„ niam animus ignorans se ipsum decipit, sibique „ ipse intus mentitur. Quo fit, ut tyrannorum ani„ mi, praeterquam quod nullâ in re id, quod ve„ rum est, audiant, licentiâ illâ, quam absolutum „ imperium secum trahit, voluptatumque illecebris, „ corrumpantur prorsus. Omnes enim sibi parere et „ obedire, omnesque summâ cum reverentiâ sese ado„ rare fere vident, quorum nemo unquam oblo„ qui, nedum eos reprehendere, audet. Itaque ex hac „ ignorantia in summam insolentiam dilabuntur: ita „ ut aliorum consilium aut opinionem ne audire qui„ dem velint. Et, quoniam credunt, regnare omnium „ facillimum negotium esse, quippe nullam artem aut „ disciplinam nihilque nisi *vim* requirens, omni co„ gitatione licentiam illam retinere student: summum „ enim bonum existimant quidlibet facere. Idcirco „ nonnulli eorum in odio habent rationem et iusti-

„ tiam

„tiam, quae iis freni instar apparent, quo cohibeantur et in servitutem redigantur: non enim dominus iis videtur, qui paret. Pessimis his moribus indulgentes, superbi fiunt: eorumque vultus imperiosus, mores austeri, vestitus sumtuosus, aurum, gemmae, solitudo denique, in quam sese condunt, declarant satis, quam lubenter velint Deorum instar coli. Colossis illis similes sunt, qui non ita pridem Romae constituti fuerunt, et extrinsecus magnorum similitudinem virorum equorumque triumphantium referebant, intus vero stuppâ et laciniis erant referti. Sed in eo differunt, quod Colossi suâ ipsi gravitate sese sustentent: principes contra, quoniam eorum regna intus male librantur, et sine ullâ mensurâ inaequalibus fundamentis nituntur, suâ ipsi mole corruant (1)."

Quae cum ita sint, cumque hoc Machiavelli et Castiglionii de Italis principibus iudicium praestantissimorum historicorum auctoritate confirmetur, non erit difficile ad efficiendum, quid proprie illum ad scribendum moverit. Dubitari enim nequit, Machiavellum, in exsilio reputantem, quot ac quanta mala Italia a principum ignaviâ, perpetuâ alieni auxilii indigentiâ, ignorantiâ, insolentiâ, perpessa esset, quorum ipse, cum rem publicam gereret, testis fuisset; haec igitur reputantem, antiquis eos domesticisque exemplis monere, adhortari, omnique modo ab turpi inertiâ, certoque interitu ad veram securitatis laudisque viam avocare voluisse.

Iis

(1) Cf. Vol. II. pag. 118–122.

Iis autem locis, quos modo memoravimus, nostri libelli argumentum adeo non repugnat, ut conveniat prorsus. Auctor enim causas, cur Italiae principes regno ceciderint, omnes cum a militia repetit male ordinata, tum a plebis vel nobilium adversus eos odio, tum vero ex futurorum malorum incuriâ. „ Nostri igitur principes," ita disputat, „ si, quem diu tenuerunt, prin„ cipatum amiserint, non tam fortunam, quam „ ignaviam ipsi suam incusent oportet. Nam cum „ quietis temporibus nunquam de turbidis cogita„ verint, (quod commune est omnium hominum „ vitium, qui sereno coelo tempestatem non cu„ rant) adversis rebus adventantibus, fugâ, non de„ fensione, sibi consulunt (1)." Et vero tanti mali remedium eodem libro unice quaerit Machiavellus in eâ prudentiâ futurique prospicientiâ, quam supra memorato Decennalium loco principibus commendaverat. Quod autem ibi significaverat tantum, in opusculo *del Principe* uberius exposuit et declaravit.

Quantum in primis in miserâ aetatis, quâ vixit, conditione, egregio viro fuerit ad scribendum incitamentum, merito ex divertâ illâ oratione, quâ disputationem concludit, efficere nobis videmur. Iis enim temporibus nulla unquam ad novam regni disciplinam ordinandam immortalemque et novo principi gloriam et popularibus suis salutem conciliandam opportuna magis exstitisse declaravit (2). „ Quod si enim, „ nam

(1) Cap XXIV. (2) Cap. V.

nam: operae pretium est, ipsam oratoris veluti vocem audire: „ad Mosis virtutem, Cyri ma-
„ iestatem et Thesei praestantiam declarandam ne-
„ cesse erat, ut Israëlitae in Aegypto servirent,
„ Persae Medorum saevitiâ premerentur, Athe-
„ nienses dispersi vagarentur: nostrâ profecto ae-
„ tate, ut Italicae mentis spiritus cognosceretur,
„ Italiam ita humilem atque abiectam esse opor-
„ tuit, ut duriorem servitutem, quam Hebraei,
„ pateretur, magis, quam Persae, vexaretur;
„ nullo duce, nullâ ordinatione, civium sanguine
„ cruentata, bonis spoliata, lacerata, populata,
„ omnia omnino malorum genera perpessa, la-
„ tius quam Athenienses dissiparetur. Et quam-
„ vis ad hoc usque tempus subinde exstiterunt,
„ in quibus tanta animi vis appareret, ut ad patriam
„ liberandam a Deo missi viderentur, nihilominus
„ perspectum est, in summo ipsos suarum rerum
„ cursu a fortuna reiectos fuisse. Itaque inanima fere
„ exspectat desideratque patria, qui eius vulnera
„ sanet, direptionibus et incendiis in Longobar-
„ diâ, expilationibus et vexationibus in Tusciâ et
„ Regno Neapolitano factis, finem imponat; eas-
„ que plagas curet, quae iam diu suppuraverunt."
Verum, qui Italiam ab intolerabilibus illis iniuriis vindicare velit, firma iaciat ille imperii sui fundamenta. „ Nulla enim res tanto hominem novum ho-
„ nore augebit, quanto novae leges latae et or-
„ dinata civitatis disciplina ipsum afficient. Haec
„ omnia, si bene condita sint, et insitâ quâdam
„ prae-

praestantem vigeant, auctorem suum augustum et admirabilem reddunt: neque in Italia aliquid deest, quo minus melior quaevis civitatis ratio institui possit. Ibi enim magna in membris virtus conspicitur, modo in capitibus non deficeret. Non enim tam civium quam institutorum perversitati pulcherrimae regionis exitium imputari debet. Veluti, quod omnis militaris virtus in Italorum animis exstincta videatur, legum et morum hoc vitium est, non hominum: qui, quantum ceteris omnibus corporis agilitate, viribus, et ingenio praestent, singularia certamina paucorumque congressus probant (1). Sed vetus rei bellicae disciplina nihil valet: et qui meliorem introducere tentaret, adhuc repertus est nemo." Quodsi vero quis juxta praecepta in libro *del Principe* tradita agat, dubium Machiavello non est, quin patria aliquando barbaris liberetur. „Omnia, inquit, hanc in rem amice conspirant: Nam, si de liberationis auctore quaeritur, quisnam ea aetate melior excogitari potuit, quam princeps e gente Medicea? Haec enim ceteris opibus, quibus jam antea polluit, Ecclesiae principatum adjungens, in Italia potentissima est. Opportunitas optima est. Deum enim O. M. universa Italia precatur, ut mittat, qui ipsam a praesente barbarorum immanitate et insolentia liberet: ad primum vexil-

„ lum

(1) Sine dubio eam respexit pugnam Machiavellus, quae cum ab aliis multis celebrata est, tum copiose a Sismondio enarrata. Vol. IV. Cap. CI. pag. [illegible]

„ lum concurrat, quod ipsi libertatis vindicandae cau„ sa proponatur (1). Difficultates facile superandae „ videntur, modo principi Moses, Cyrus, Theseus, „ reliqui viri, quorum res gestas memoravimus, per„ petuo ante oculos versentur. Qui licet rari fuerint „ et admirabiles, mortales tamen et ipsi erant, et pe„ iore occasione utebantur: neque Deus se illis „ quam nobis amantiorem praebuit. Causa iustissima „ est. Nam justum est bellum, quod est necessarium: „ ea arma pia sunt, in quibus spes omnis reliqua est. „ Itali denique omnes nihil, nisi sui vindictam, spi„ rant." De horum igitur salute non desperandum esse Machiavello videtur, modo princeps monitis eius obtemperet, et nihil antiquius habeat, quam ut domesticam et propriam militiam sibi comparet: huic se ipsum praeficiat: eamque ita instituat, ut omnibus iis malis occurratur, quibus Helvetiorum Hispanorumque pedites laborant. His ita constitutis, non eam elabi patiatur occasionem, quâ tandem Italia contempletur suum liberatorem. „ Qui tanto „ amore," ita libellum concludit, „ tanta inauditas „ iniurias ulciscendi siti, fidei constantia, animi pie„ tate, lacrymarum vi excipietur in iis regionibus om„ nibus, exterorum illuviei tamdiu expositis, quan„ ta nulla oratione satis digne exprimi poterunt. Quae [illegible] „ por-

(1) Simili modo iam antea Flaminius in carmine ad Julium II. Pont. Max. cecinerat:

> Fac tantum norint Itali te velle: coibunt,
> Et novus in cunctis protinus ardor erit."

Cf. Roscoius Vol. III. pag. 385.

„ portae illi clauderentur? Qui populi parere ei recusa-
„ rent? Quae invidia sese ei opponeret? Quis Italus
„ obsequium illi detrectaret? Neminem non istius bar-
„ barorum dominationis taedet pudetque. Adgrediatur
„ igitur illustris Mediceorum gens nobile hoc opus,
„ eo animo, eâque spe, quâ omnes res iustae sus-
„ cipi solent, ut sub eius insignibus haec patria
„ nobilitetur, eiusque auspiciis Petrarchae illud con-
„ tingat: "

„ *Virtù contro al furore*
„ *Prenderà l'arme, e fia il combatter corto;*
„ *Che l'antico valore*
„ *Negl' Italici cuor non è ancor morto*".

CAPUT V.

Quomodo de exhortatione illâ ad Italiam a Barbaris liberandam existimandum videtur?

Verissima fuit illa Machiavelli vox: „ Neminem „ non barbarae istius dominationis taedet pudet„ que." Nam Iulius II, ut a principibus viris incipiamus, per totum pontificatûs tempus, nihil magis cordi habebat, quam ut illud, quod perpetuo in ore ferebat, „ liberandam a barbaris Ita„ liam esse," ad exitum perduceret (1). Qui profecto, nisi mors ipsum, florente fortunâ, occupasset, fidem fecisset omnibus, se a Deo ad pa-

(1) Cf. Sismond. T. X. p. 365.

patriam a servitute vindicandam fuisse ordinatum. Idem propositum Leonis X animo identidem obversabatur. Guicciardinus enim, qui illud ex Mediceo Cardinale, omnium Leonis consiliorum conscio, acceperat, hunc, A. 1521, ideo tam incerto erga Galliae et Hispaniae regem animo fuisse tradit, quod, Gallis Genuâ et Mediolano pulsis, facile se Carolum V Neapolitano regno eiecturum, eamque sibi Italiae liberatae gloriam, quam Iulius II affectaverat, conciliaturum speraret (1). Nec minus faciles aures Clemens VII Moronio praebuit, cum egregii successûs spe, post pugnam Papiensem, barbaros cunctâ Italiâ pellendi consilium suscipienti (2). Illud autem turpissimae ignominiae taedium Ecclesiae illis principibus cum eiusdem aetatis poëtis et historicis commune fuit. Rankius enim nobis auctor est (3), Ioannem Antonium Flaminium Pontificem Iulium II carmine ad praeclarum illud faci-

nus

(1) Cf. Guicciard. Lib. XIV. init.

(2) Varch. Lib. II. p. 28. » Appunto venne, che messer » Girolamo Morone da Cremona, il primo de' consiglieri » di Francesco Maria duca di Milano, sapendo la mala » contentezza del marchese gli favellò o da se ò per com- » messione del papa lungamente, e gli mostrò, che volen- » do egli pigliar l'impresa di liberare Italia da' Barbari » poteva con eterna lode di se e immortal beneficio della » patria sua ed infiniti uomini, il reame di Napoli, che 'l » papa con degnò premio de' suoi meriti gli concederebbe, » guadagnarsi. » Cf. Guicciard. L. XVI. med. Rem fuse enarrat Robertson. Lib. IV. p. 226-231.

(3) *Zur Kritik neuerer Gesch.* p. 195.

nus excitasse (1), Polydorumque Vergilium, mense Aug. A. 1526, brevi ante quam omnis meliorum temporum spes Hispanorum armis praecideretur, votum fecisse, ut Italia per Franciscum Mariam, Urbini tyrannum, confoederatorumque ducem, veterem gloriam et libertatem esset recuperatura (2). Supra vidimus, Machiavellum, ad vitae finem usque, de Italiae salute non omnino desperavisse, modo ne cives sibi ipsi deessent, et in Pontifice ardor aliquis et prudentia apparerent (3). Hic igitur, mense Maii eiusdem anni, quo Vergilius librum suum edidit, captivo Galliae rege, opportunum barbaros pellendi tempus ratus est. „Equidem," ita ad Guicciardinum scribit, „Longobardiae turbas accepi, „et undique intellexi, nebulones istos facillime „ex hac regione eiici posse. — Prius enim non „eritis securi, quam Hispani ita e Longobardia „pellantur, ut nunquam eo redire possint." — „Liberate," ita in epistolae fine exclamat, „diuturna cura Italiam: „extirpate has immanes belluas, „quae

(1) Cff. Flaminiorum carmina Patavii 1743. p. 441 sqq.

(2) In praefat. ad libros de prodigiis III. „Tu in primis, inquit, qui nunc Venetorum copias ducis, officiumque „fortissimi Imperatoris facis, quo adiumento sis ad rem „Italicam, quae iam prope trigesimum annum crudeliter „armis Gallorum, Hispanorumque, similiter ac Germanorum vexatur, laceratur, perditur, tandem aliquando „restituendam." Ed. Lugd. Bat. A. 1644. p. 3.

(3) Cf. Lib. I. Cap. IV. pag. 138.

quae hominis praeter faciem et vocem nihil habent (1).

Haec autem reputantes, absoluto operi quodnam tandem melius veluti fastigium imponere Machiavellum potuisse censeamus, quam gravissimam illam orationem, qua votum effudit, quod Mediceis, qui idem cuperent et ante omnes Italiae principes perficere posse viderentur, gratissimum esse debuit; quod optimi cuiusque Itali sensus maxime expressit, ab ipso auctore ad mortem usque intimo pectore fovebatur; et, si unquam, ab eo tantum principe impleri posse videbatur, qui sese ad huius praecepta totum conformasset?

Affirmat Machiavellus, Italiae liberatorem, maximo omnium concursu et laetitia, totius regionis dominum salutatum iri. Neque hoc mirabitur quisquam, qui talis beneficii naturam penitus perspexerit. Sed tamen non abs re erit hoc loco animadvertere, mala, quae exterorum dominatio afferebat, tanta fuisse, ut clarissimi ea aetate viri nihil magis deplorarent, quam istam Italiae in varia regna, civitates et factiones divisionem. Haec enim, eorum iudicio, impediverat, quominus transalpinarum gentium vi resistere potuissent. Varchius, probatissimus auctor, A. 1526, Clementem VII ideo inter alia ad pacem pronum fuisse memorat, quod Venetos, suo more, nihil aliud agitare videret, quam ut sensim sensimque

(1) Epist. LXVII.

quae Italiam ita debilitarent et consumerent, ut tandem, fractis viribus, aut in eorum ditione proximum et tutissimum auxilium quaerere, aut exterorum insolentiam perpeti cogeretur. Quibus haec addit: „ Et, ut vere dicam, nun„ quam Italiae labores et calamitates cessabunt, „ ante quam prudens et fortunatus quidam prin„ ceps imperium in eam suscipiat: quoniam tan„ tum a Pontificibus beneficium sperare non li„ cet " (1). Pulcre cum hoc effato consentit Machiavellus, cuius eandem plane in commentariis Livianis sententiam supra memoravimus (2). Itaque, quod patriae longe optimum iudicavit, illud principis eius institutio maxime spectat. In quem omnia quadrant, quae de suo imperatore in sermone illo de arte militari pronuntiavit Fabritius Colonna. „ Equidem, ait, hoc vobis affirmo: quicun„ que ex iis, qui hodie in Italiâ regnant, hanc a me „ monstratam viam primus intraverit, eum reli„ quis quoque citius huius regionis dominum eva„ surum. Huius enim regno idem, quod Mace„ donum imperio, sub rege Philippo, eveniet. „ Qui cum rei militaris disciplinam ab Epamınon„ dâ Thebano didicisset, his artibus et copiis in„ structus, dum reliqua Graecia ludis spectandis „ otium contereret, ad tantam sese potentiam ex„ se-

(1) Lib. II. p. 58. (2) Pag. 195. Cff. in primis *Istor. Fior.* Lib. V. init. ubi, diruto Imperio Romano, Italiam non statim in unius potestatem redactam fuisse, dolet Machiavellus.

„ seruit, ut paucorum annorum spatio hanc non „ solum totam occuparet, sed filio etiam tam bene „ fundatum imperium relinqueret, ut is ad totius „ orbis terrarum ditionem contendere posset (1).

Notum est, plures hoc universae Italiae in unam dominationem cogundae propositum et antea suscepisse et adhuc fovere. Quod utrum sagacissimorum hominum legitima spes, an vero civium, aegrae patriae consulere studentium, somnium vocandum sit, multi dubitant: ex simili autem morbo similis medicinae desiderium exstitisse videtur (2). Et profecto, quamquam nullo modo negamus, ex infinita illa populorum et regiminum varietate egregia multa in Italia, dum libera esset, efloruisse, tamen iidem contendimus, quo tempore Machiavellus scripsit, ante omnia opus fuisse, ut pulcherrima regio ab exterorum vi et auctoritate vindicaretur. Huic fini ipsa adeo libertas, cuius nullibi nisi umbra apparuit, postponenda erat. Quod uti egregie prudentissimi illi viri, quos supra memoravimus, perspexerunt, ita tum demum patriae salutem sperarunt, si unum ducem ad barbaros pellendos omnes sequerentur,

(1) L. VII. in fine.

(2) Dignissimus est, qui de hoc argumento legatur, Sismond, Vol. III. Cap. XXIX. p. 347 sqq. et Vol. VIII. Cap. XCI. p. 254—266. Cf. illust. de Staël-Hollstein in opusc. *Corinne*, Lib. VII. C. II. » La division des états, « ait, » si favorable en général à la liberté et au bonheur, » est nuisible à l'Italie, « et quae sequuntur.

gitaverint quidem. Horum vero vitiorum contrarias virtutes in principe suo postulavit Machiavellus, qui suae aetatis tyrannos ita a *lubitu* et *levitate* ad *rationem* et *prudentiam* revocavit, ut in omni vitae actione ipsorum arbitrio nihil permiserit, sed cuncta ad propositum ipsis finem, regni perpetuitatem, eos referre iusserit. Praecepta eius huc maxime spectant, ut principis regnum et animus ad omnem fortunam formentur et instituantur. Quae omnia tum maxime consequetur, si bonas leges, inprimis autem, si propriam militiam, totius civitatis principia constituat: subditos ita aequabiliter tractet, ut absit omnis lubido, immanitas, vis, iniuria, importunitas, quae odium aut contemtum excitet: adsit, nisi amor, certe cum admiratione coniuncta reverentia: si alacer, et vigilans unice in regni negotia incumbat, futuris sedulo prospiciat, peritissimorum hominum de gravissimis rebus opinionem et scientiam prudenter exquirat: adulatores fugiat (1) et, quae ipse peragere non possit, idoneis ministris perficienda tradat (2). His enim artibus et ipse et regnum eius propria virtute sese sustentabunt, ita ut neque fortunae temeritas facile, neque inimicorum iniuria illud unquam labefactum sit. Quod enim Cicero in paradoxis de sapiente usurpavit ad Machiavelli principem traducimus: „Nemo potest

„ non

(1) Cf. Cap. XXIII.
(2) Cf. omnino gravissimam eius de principum ministris disputationem. Cap. XXII.

„ non beatissimus esse, qui est totus aptus ex „ sese, quique in se uno sua ponit omnia. Cui „ spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortunâ, „ huic nihil potest esse certi; nihil quod exploratum „ habeat, permansurum sibi unum diem (1)."
Talis autem princeps, qui subditos ita animatos tenet, facile, de Machiavelli sententiâ, ad praeclara quaevis et ipse inflammabitur et alios excitabit: quorum nihil illo tempore cogitari potuit aut ad suscipiendum opportunius, aut gloriosius ad perficiendum, quam pulcherrimam regionem foedissimis monstris liberandi consilium.

Paucis his verbis et proprium opusculi argumentum et veram auctoris mentem et praecipuas libelli dotes indicasse nobis videmur, quae sane eo maiores lectoribus apparebunt, quo accuratius sibi eam, quâ Machiavellus scripsit, aetatem animo repraesentaverint. Omnia fere praecepta, quae ad principum praestantiam augendam traduntur, tantam habent ab utilitate et intimâ humanae naturae cognitione commendationem, ut hodie adhuc mirâ veritatis auctoritate et novitatis gratiâ excellant. Quae non parum augetur egregiis illis animadversionibus, civilis prudentiae plenis, quarum multas iam in disputationis cursu lectores perceperunt, nonnullas autem hic memoramus, aut saltem indicamus, quo magis perspiciant, peritissimos quosque civitatis re-

gun-

(1) Parad. II.

gundae viros Machiavelli opusculum summo fructu esse lecturos. Initio libri, quantâ fortunâ et industriâ opus sit ad retinendum imperium, in regionibus, linguâ, moribus, institutis diversis, docetur (1). Quis autem, his temporibus, quibus tot mixta imperia aut interierunt iam, aut adhuc sollicitantur, Machiavelli animadversiones non summâ cum admiratione legit, neque praecepta eius identidem neglecta esse dolet? „Qui tyrannidem civitatis," ita alio loco disputat „quae diu libertate usa est, „occupat, neque hanc evertat, nihil aliud, quam „eam eversuram ipsum esse, exspectet. Rebel„lis enim populus semper ad libertatis nomen et „veterem suam disciplinam confugiet: quorum me„moria nec temporis diuturnitate nec beneficiorum „magnitudine extinguitur: et quidquid fiat vel pro„spiciatur, nisi distrahantur aut dissipentur inco„lae, nunquam illud libertatis nomen antiquorum„que institutorum desiderium ex eorum animis „excident, sed primo quoque eventu denuo vim „suam exserent (2)." Quis autem, haec legens, Polonorum sortem non sponte recordatur? Omnis aevi, nostri praesertim, experientia confirmavit, quod de molestiâ monuit Machiavellus, quam novae civitatis disciplinae auctor suscipere debet. „Nihil enim aut ad tractandum difficilius, aut incertius ad obtinendum, aut pericu„lo-

(1) Cap. III.

(2) Cap. V. Cf. omnino Rehberg. in adnot. ad h. l.: tum vero gravissima illa Florentinorum civium ad Gualterum ducem oratio, *Istor. Fior.* Lib. II. med.

„ losius ad efficiendum videtur. Qui enim haec „ aggreditur, tum adversarios sibi nanciscitur „ cunctos illos, qui ex veteri ordinatione com„ moda percipiebant, tum iis adeo ipsis, quibus „ nova utilis foret, lentis causae suae patronis „ utitur. Quorum inertiam partim adversariorum „ metus implet, legum incolumitate nitentium; „ partim hominum diffidentia, qui de rebus novis „ desperare solent, donec absolutas eas et per„ fectas videant. Quo fit, ut illi nullâ non op„ portunitate acriter auctorem oppugnent, hi con„ trà segniter defendant, ita ut una cum ipso pericli„ tentur (1)." — Deinde mihi saeculum nostrum nihil ostendisse manifestius videtur, quam huius animadversionis vim et sententiam. „ Civitates," inquit Machiavellus, „ quae subito exsurgunt (ut reliqua „ omnia, quae in rerum naturâ repentino motu „ oriuntur et crescunt) non tam alte radices et fi„ bras agere solent, quin primâ quâque tempesta„ te convellantur: nisi novi, qui iis praeficiun„ tur, Principes, tantâ animi vi excellant, ut, „ quod sponte iis obtulerit fortuna, continuo „ amplectantur omnique ratione conservare stu„ deant: eaque civitatis fundamenta, quae ceteri „ ante iacere solent, quam ad principatum accedant, „ postea ponere conentur (2)." Idem de universâ hominum ad mutandos principes propensione, quo

(1) Cap. VI. Hisce difficultatibus accedit, quod „ sem„ pre una mutazione lascia lo addentellato per la edifi„ cazione dell' altra. " Cap. II.

(2) Cap. VII.

morbo nostra aetas in primis laborare videtur, verissime ita pronuntiavit. „Homines, inquit, spe meliora „ consequendi lubenter principes mutant. Quae ex- „ spectatio eos primum ad arma adversus eum, qui reg- „ no praeest, capienda impellit, mox vero fallere so- „ let, quoniam peiora sese adeptos esse experiun- „ tur (1)." Denique egregie docuit, principes, in primis novos, maiorem saepe fidem et utilitatem reperisse in iis, qui initio regni iudicabantur suspecti, quam in iis, qui maximâ fiduciâ digni videbantur. Facile enim eos sibi amicos conciliant, qui alieno praesidio ac tutela indigent: hi autem eo fidelius principi inservire coguntur, quod opinionem de se conceptam rebus et factis delendam esse existimabunt. Quo fit, ut ex eorum studio maiores fructus ad principem redire soleant, quam ex levitate ceterorum, qui a nimia securitate res illius negligent fere (2). Eodem modo longe facilius princeps in imperio, quod subditorum favore recens acquisivit, illos in suam amicitiam pertrahet, qui in superiore dominatione acquiescebant, quique propterea aegre ipsum ferebant, quam eos, qui, novarum rerum studio ducti, ipsum novum civitatis rectorem, legitimo eiecto, constituerunt (3). Haec autem omnia nonne plane ad nostrae aetatis usum scripta videntur?

Verum (ita enim multos iam dudum rogare existimo) quo tandem modo cum dotibus illis, quas prae-

(1) Cap. III. (2) Cap. XX. (3) Eod. loc.

praedicas, concilianda sunt turpissima placita, quae ubivis profert Machiavellus, quaeque omni aevo memoriae eius summam intulerunt infamiam, de qua tu ne cogitare quidem amplius videris? adeo es in laudando eo occupatus! Et recte illi monent: nos vero Machiavelli non laudatores, sed interpretes sumus. Nunc autem demum eo processimus disputatione nostrâ, ut de gravissimo hoc loco vere possimus pronuntiare. Sponte ita simul ad iudicium de universo Machiavelli opere ferendum deducemur, quocum adeo cohaeret, ut ab eo separari non posse videatur. Quo melius autem aequiusque hoc suscipiamus, doctrinae in opusculo *del Principe* traditae, quae illuc pertinet, summam hic subiicimus.

Novum suum imperium firmum et diuturnum reddere sibi princeps tantâ constantiâ proponere debet, ut, quo minus illud adsequatur, nullâ omnino abduci sese patiatur ratione. Cetera non per se spectanda sunt, verum unice tanquam regni instrumenta. Iustitia, fides, omnes adeo virtutes summâ prudentiâ aut colendae principi aut simulandae sunt, prouti humanae naturae imbecillitas aut diversa temporum ratio hoc requirant. Illud enim affirmamus, eum qui, neglectis iis, quae vulgo fiunt, unice, quae fieri debeant, praecipit, principi non conservationem, sed interitum paraturum (1). Vitia enim sunt necessaria, sine quibus vix ac ne vix quidem civitas sese tueri potest: virtu-

tes

(1) Cf. Cap. XV et XVII.

tes contra tales, aut virtutum simulacra sunt, quae eam penitus pessumdent. Adeo nempe insita est mortalium pectoribus illa maiorum opum cupido, ut semper laudentur, qui, ubi possint, naturali huic propensioni indulgeant: illi tantum vituperentur, qui illud, quod adsequi non possint, sequantur tamen (1). Modo igitur Princeps vitam tueatur, et regnum muniat, praesidia ad illa vindicanda semper egregia iudicabuntur. Haec veritas *omnium* hominum et temporum est. Sed praeterea *nonnullis temporibus* deformata adeo, et foedata est hominum species, ut in plerisque nulla virtutis significatio appareat, et belluis prope similes videantur: quibus igitur principi, omni parte probo, necesse erit perire, nisi ipse quoque, pro rerum ratione, bonum aut malum sese praestet (2). Itaque laudabile quidem esset, si principes omnibus virtutibus essent ornati (3), sed hoc et ab hominum imbecillitate exspectare absurdum, et civitatis rectoribus exitio foret. Vana igitur et futilis dicenda est omnis eorum scientia, qui civitates aut regna sibi fingunt, qualia esse deberent quidem, sed neque exstiterunt unquam, neque futura sunt: et, si essent, necessario perirent. Praecepta, quae si minus ho-

(1) Cap. III. Cff. Disc. III. Cap. IV.

(2) Cf. Cap. XV et XVIII.

(5) Cf. Benedicti Alberti ad cognatos oratio, Istor Fior. Lib. III. ,, Voi vedete, inquit, padri e maggiori miei, ,, come la fortuna hà rovinato me, e minacciato voi, ,, di che ne io mi maraviglio, ne voi vi dovete maravi- ,, gliare: perchè sempre *così avviene a coloro, che tra* ,, *molti cattivi vogliono esser buoni.*''

honestate, utilitate certe unice sese commendant, ille tantum dabit, qui, relictâ prorsus perfecti illâ imagine, istam umbram potius, quae ubivis in terrâ nobis apparet, amplectetur. Itaque Machiavellus, qui ipse populares suos ingratos, varios, simulatores, lucri cupidos, perversos, sic denique sui unice commodi studiosos iudicat, ut pacis tempore se, liberos, suaque omnia principi offerant, ubi vero periculum advenerit, mirum in modum frigeant (1), absurdum esse statuit in Italiae faece, tanquam in Platonis πολιτείᾳ, agere aut cogitare.

Itaque facile intelligimus, *Machiavellum ab omni honesti notione seiuncta prorsus tradidisse artis civilis praecepta.* Virtutes enim et vitia, quamvis eorum discrimen probe perspiciat (2), tamen, si de regno tuendo sermo est, ita regnantis commodo postponit, ut de actionum *honestate* nulla, de *prudentiâ* omnis quaestio versetur. „ Princeps, inquit, necessario „ tantâ esse prudentiâ debet, ut eorum vitiorum „ omnium, quae regnum ipsi auferant, infamiam „ evitet: a ceteris vero, si fieri possit, abstineat: „ sin minus, his maiori securitate indulgere po„ terit. Nihil autem omnino illorum vitiorum „ infamiam curet, sine quibus regnum servari „ non potest. Qui enim haec omnia secum repu„ taverit, alia reperiet, quae virtutis speciem qui„ dem

(1) Cf. Cap. XVIII. (2) Cf. Cap. XV.

„idem prae se ferant, veruntamen si sequaris, „interitum tibi conciliabunt; alia vero, quae si, „utcunque vitiosa sint, adsumseris, et securita„tem tibi et prosperitatem praestabunt" (1).

Castiglionius de plerisque Italiae principibus affirmat, se certo scire, si ad eos severus philosophus vel quivis alius accederet, qui boni principis exemplar et nudam virtutis imaginem iis ostenderet, hanc sui amorem adeo non excitaturam, ut primâ illi specie eam aspidis instar fugerent, vel tanquam vilissimam rem illuderent (2). Forte igitur quis putet, Machiavellum adeo de Italicorum principum virtutibus desperasse, ut in iis ne illas quidem requisiverit, quas ad regnum administrandum necessarias iudicaret, sed earum simulacra sufficere contenderit: eumque pariter de sub-

(1) Cap. XV. Quam bene autem diversam virtutum et vitiorum naturam perspexerit Machiavellus; et tamen actionum *prudentiam* unice attenderit, docet inter alia Disc. Lib. I. Cap. XXVI. Ibi agit de novo principe, cui auctor est, si secundum leges vivere nolit, ut omnia in regno suo innovet. » Sono," inquit, » questi modi crudelissimi, e nemici d'ogni vivere, » non solamente Cristiano, ma umano, e debbegli qualunque » uomo fuggire, e volere piuttosto vivere privato, che Rè » con tanta rovina degli uomini. Nondimeno colui che » non vuole pigliare quella prima via del bene, quando si » voglia mantenere, conviene che entri in questo male. Ma » gli uomini pigliano certe vie del mezo, che sono dannosissime, perchè non sanno essere nè tutti buoni nè tutti » cattivi." Cff. Disc. Lib. I. Cap. XVIII. Lib. III. Cap. XL Princ. Cap. VIII.

(2) *Il libro del Cortegiano*, Vol. II. pag. 122.

subditis ita existimasse, ut praecepta sua saepius ad eorum pravitatem accommodaverit. Quod uti non omnino negamus (1), ita dicendum tamen est, perversa Machiavelli placita cuncta ab eo principio fluxisse, quo regnandi arti et necessitati omnis honestas cedere debet. Hinc enim repetendum, ipsum nonnullas tantum virtutes in principe suo postulare, quae quidem ad regni diuturnitatem conducerent, earumque adeo umbrâ contentum esse: iis autem vitiis, quae ad imperantis commodum necessaria sunt, sine ullâ haesitatione principem, ut iis indulgeat, iubere: reliqua denique vitia et virtutes, quae nullam habeant cum regnandi officio coniunctionem, nihil curare, sed principum arbitrio permittere.

Istâ autem opinione, quâ omnis honestas relinquitur propter utilitatis speciem, ut exsecratus iam eam est Socrates, ita re verâ nulla pestis maior in vitam hominum invasit. „Ex hac „enim utilis et honesti distractione sicae, venena, „falsa testamenta nascuntur: hinc furta, pecula„tus, expilationes direptionesque sociorum et ci„vium: hinc opum nimiarum potentiae non feren„dae, postremo etiam in liberis civitatibus regnan„di existunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius „nec foedius excogitari potest (2)." His verbis egregie necessarios turpissimae huius doctrinae effectus memoravit Cicero, quam non invenit Machiavellus, aut ceteris aequalibus magis commendavit, sed

(1) Hoc enim ipse passim declarat e. g. Cap. XVIII.
(2) Sunt verba Panaetii apud Cicer. *de Off.* L. III. C. VII.

Caesarem Borgiam suspexerit Machiavellus, eumque non in hoc modo opusculo, sed in omnibus scriptis suis et epistolis adeo ad familiares, principibus, novis praesertim, ut exemplum proposuerit. Scilicet vir ille, qui patris fortunae et Gallorum armis initia dominationis suae debuit, nihil potius habuit, quam ut ab alieno suus evaderet, et novi regni infinitis suis periculis firma et tuta fundamenta iaceret. Quare cum propriam militiam condidit, tum animum et regnum ad omnem fortunam finxit: recens acquisitarum regionum latrociniis, omnique licentiae genere expilatarum, calamitatem et miseriam sedavit: subditorum autem suorum amorem et reverentiam iustitiâ, severitate et popularitate sibi conciliavit. Multis ille vitiis merito infamis est: sed haec aut eiusmodi erant, ut cum regni procuratione nihil omnino commune habere, aut summâ prudentiâ regi et constans eius propositum egregie adiuvare viderentur. Denique ingenii sui alacritate maxima quaeque affectaturus videbatur. Non uno igitur nomine res gestae eius Machiavello admirabiles visae sunt: qui, uti secundum praecepta, quae ipse exposuit, de Borgia iudicare debuit, re verâ de eo his verbis iudicavit: „ Qui in recens „ acquisito regno necessarium ducit, sese ab hos„ tibus tutum adserere, amicos sibi parare, vi „ aut fraude vincere, populi vel amorem vel me„ tum sibi conciliare, militibus alacritatem et re„ verentiam iniicere, perdere eos, qui ipsi nocere „ et velint et possint, novâ disciplinâ vetera in-

 „ sti-

„ stituta renovare, simul et severum esse et om„ nibus gratum, infidam militiam abolere, novam „ cogere, amicitiam cum Regibus et Principibus „ ita servare, ut vel cum bonâ gratiâ ipsi pro„ sint, vel omni cautione ipsum laedant: qui haec, „ inquam, necessaria ducit, is nulla poterit me„ liora recentioraque exempla sibi proponere, „ quam Borgiae vitam et res gestas. Hunc igitur „ imitari debent, quicunque fortunae beneficio, alie„ nisve armis, subito ad imperium pervenerint (1)."

Itaque illud egit Machiavellus, ut principes, qui, de regni negotiis parum solliciti, in diem tantum vivere solebant, longius prospicerent, et regni procurationem *artem* esse intelligerent, quae omnem ipsorum animi intentionem requireret. Quae conversio mollissimi otii ad strenua negotia, ab incuriâ ad curas, a lubitu ad rationem atque prudentiam, et ipsis et subditis eorum maxime salutaris habenda erat. Nullam enim maiorem gloriam principibus contingere posse affirmat Machiavellus, quam si corruptam civitatem instaurent et emendent. Quod cum fieri possit salvo dominatu (ceteroquin enim excusandi essent, si commodum suum subditorum utilitati anteponerent) illud, iis non facere nullo modo licere, contendit. Duplicem igitur illis a Deo viam patefactam esse monstrat, alteram, quâ bene regnum procurantes, tranquillam vitam degant, et, post obitum, honestam nominis sui commemorationem posteris relinquant: alteram, quâ male rem suam administrantes, in perpetuis

(1) Cap. VII. Cf. omnino Sismondius Vol. X Cap CII. p. 25.

tuis molestiis vivant et mortui summam infamiam consequantur. Talem autem principatum eos condere iubet, ut inter medios subditos ipsi securi vivant, cuncta pace et iustitiâ impleant, rei publicae senatum auctoritate, magistratus honoribus, opulentos cives divitiis suis gaudere sinant; verbo, sua cuique tribuant (1).

Sic igitur existimo, *Machiavellum primum fuisse inter recentiores, qui civilis prudentiae praecepta et imperii administrandi rationem ad regnandi artem revocaverit: eius autem* del Principe *opusculum artis illius partim initium referre, partim vero insignem progressionem declarare.* Etenim; nullâ honesti ratione habitâ, idem proprii commodi studium, quo ducebantur Italiae principes, in hoc Machiavelli opere dominatur. Vere igitur Hermannus Conringius: „ Ita de principatu, " inquit, „ disserit integro hoc libello Machiavellus, „ ut appareat, intelligi ab illo hac principatus voce „ nonnisi illud unius imperium, quod ad utilitatem dominantis primo spectat, ad commodum „ vero populi tantum per accidens et secundario." Quem summâ iniuriâ vituperat Kellermannus (2): ut nemo facile negabit, qui nobiscum opusculum legerit. Ideo enim populi utilitatibus operam dare principem suum iubet Machiavellus, ut ipse securius et diutius regnare possit (3). Sin vero

(1) Cf. Discorsi L. II. C. X.

(2) Cf. Kellerman. disp. laud. p. 31.

(3) Ad un Principe è *necessario* avere amico il popolo, inquit Cap. IX: non quia honestum est, sed *alrimente* *non*

eadem imperantis utilitas postulet, ut cives interficiantur, aut milites crudeliter puniantur, aut quidvis aliud patretur, haec omnia peragere non dubitabit princeps, cunctaque suae saluti postponet.

- Doctrinae autem progressio non solum in eo cernitur, quod idem illud principium ad severiora et prudentiora traduxit Machiavellus, quae principes isti, praesenti unice commodo et lubidini dediti, ne cogitabant quidem; sed vel maxime ex eo effici debet, quod tota regnorum et principum *emendationem* spectat. Itaque *simul et ad prudentiam civilem excolendam et ad Italicorum principum mores emendandos et vero ad subditorum felicitatem augendam* composita erant Machiavelli placita. Etenim, quamvis in eius scholâ utilitati honestas omnis postponatur (1), tamen omittendum non

est

non hà nelle avversità remedio. Sic omnia eius praecepta, sine ulla exceptione, *prudens* proprii commodi studium referunt.

(1) Non igitur moralis hominis praestantia, sed ea animi vis, quae alacritate, industriâ et prudentiâ cernitur, ab eo maxime celebratur, ubi de novo principe disputat. Quam vocabulo *virtù* significat: duplici illa huius vocis significatione utens, quâ *virtus* a Romanis et *ἀρετή* a Graecis usurpatur. Cap. VIII pariter de animi et ingenii dotibus occurrit. » Non si può" inquit, » chiamare *virtù* » ammazzare li suoi cittadini, tradire gli amici, essere sen» za fede, senza pietà, senza religione: li quali modi possono far' acquistare Imperio, ma non gloria. Perchè » se si considerasse la *virtù* (Belgice *de geestkracht*) di » Agatocle nell' entrare e nell' uscire de' pericoli etc." Quae egregie mihi locum similem prorsus Aristotelis illustrare videntur: Πολ: A. pag. 9. Ed. Schneid. Ὁ δ' ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ, οἷς ἐπὶ τὰ

ναν-

est, ita comparatam esse naturam humanam, ut quo magis vera sua commoda perspiciant homines, eo melioribus moribus fiant, ita ut, Dei immortalis beneficio, naturale quoddam probitatem inter et prudentiam vinculum suspicareris. Machiavellus igitur, cum cerneret, principis utilitatem sine quâdam universorum utilitate esse non posse, et quae subditis turpia, contemnenda, odiosa videntur, regnanti nequaquam conducere: hunc autem sic praesentibus temporibus uti debere, ut fu-

ναντία ἐστὶ χρῆσθαι μάλιστα. Διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον. — Eodem modo facinorum *magnitudo* magis quam praestantia in omnibus Machiavelli operibus laudatur. Ut ex multis exemplis unum alterumve excitemus, in commentariis Livianis (Lib. I. Cap. XVII) Ioannis Pagoli animi egestas notatur, quod Iulium II inermem haud oppresserit. » Ma gli uomini," ita pergit auctor, » non sanno essere » *onorevolmente* tristi, o perfettamente buoni; e come una » tristizia ha in se *grandezza*, o è in alcuna parte *genero-* » *sa*, eglino non vi sanno entrare." Et eo magis vituperandus Pagolus Machiavello videbatur, » che avesse di- » mostra a i Prelati, quanto sia da stimere poco chi vive » e regna come loro, e avesse fatto una cosa, la cui *gran-* » *dezza* avesse superato ogni infamia." In praef. hist. Florent. legimus: » Non considerarono (Lionardo d'Arezzo » e Messer Poggio) come le azzioni che hanno in se *gran-* » *dezza*, come hanno quelle de i governi e de gli stati, » comunque elle si trattino, qualunque fine abbino, pare » portino sempre a gli uomini più onore che biasimo." Adeo vera est illa Gallici scriptoris sententia. » Il existe » un prestige inconcevable dans toute espèce de célébrité, » à quelque titre qu'elle soit due. Il semble que la gloi- » re d'un crime en efface la honte. Nous ne sommes im- » pitoyables que pour les choses, pour les sentimens et les » aventures *vulgaires*."

futuris, non noceat (1): non huius modo commodis, quae unice respexit, consuluit, sed subditorum simul saluti, et bene sanos ad plurima vitia fugienda, propriae utilitatis causâ, incitavit. Itaque, quamvis inhonesta sint principia, a quibus profectus est Machiavellus, moribus tamen doctrina eius profuit. Quod quo melius intelligatur, reputandum est, idem eum propriae utilitatis studium secutum esse, quod, (ut Sophistas, qui saeculo XVIII in Galliâ floruerunt, mittamus) propugnavit Epicurus (2), et, cui Epicurus solus inter antiquos philosophos veritatis inventor et quasi architectus vitae beatae visus est, Benthamus (3). Sed Machiavellus, *de unius imperio* disputans, suspicatus tantum est, eandem semper esse utilitatem uniuscuiusque et universorum: illi vero illud declaraverunt, et ab incertis ad certa, a temporariis ad perpetua *omnium* commoda ita hominum mentes revocaverunt, ut praecepta eorum, eodem divinae sapientiae beneficio, virtuti et bonis moribus multo prodesse magis quam obesse dicenda sint, quamvis ipsa per se non maiorem, ac Machiavelli placita, honestatis rationem habeant. Nam si quaenam illorum vis sit, intelligere velimus, non sub-

sis-

(1) Quod plane cum Epicuri de voluptate doctrinâ convenire, nemo ignorat.

(2) Cff. Lib. I et II *de finibus bonorum et malorum.*

(3) Cff. *Oeuvres de Iérémie Bentham.* Brux. 1829. Doctrinae principia suae maxime exposuit in disputatione, cui titulus: *Traité de législation civile et pénale.*

sistendum est intra cultissimae aetatis terminos, quâ homines bonorum et malorum aut scientiam consecuti sunt, aut certe deliberatas opiniones fovent, quâque vox illa, „ in servandâ iustitiâ rei bene „ gerendae optimum praesidium esse" crebro usurpatur, sed in Machiavelli aevum traducere nosmet ipsos, et ad huius cogitandi agendique rationem eorum philosophorum decreta exigere debemus. Tum enim, quam vana sit Torquati illa apud Ciceronem, et Benthami disputatio, quâ suam utilitatis doctrinam cum morum disciplinâ coniungere student, apparebit. Quorum ille: „Iniustitia," inquit, „cuius in mente „ consedit, hoc ipso, quod adest, turbulenta est: „ si vero molita quidpiam est, quamvis occulte fe„ cerit, nunquam tamen id confidit fore semper oc„ cultum. Plerumque improborum facta primo sus„ picio insequitur; deinde sermo atque fama; tum „ accusator; tum iudex: multi etiam, ut te con„ sule, ipsi se iudicaverunt. Quod si qui satis „ sibi contra hominum conscientiam saepti esse „ et muniti videntur, deorum tamen horrent, eas„ que ipsas sollicitudines, quibus eorum animi „ noctes atque dies exeduntur, a diis immortali„ bus supplicii causâ importari putant. Quae au„ tem tanta ex improbis factis ad minuendas vi„ tae molestias accessio fieri potest, quanta ad „ augendas, quum conscientiâ factorum, tum „ poenâ legum odioque civium (1)?" Quocum haec

(1) Lib. I. Cap. XVI. ex recensione Orellii.

haec Benthami consentiunt plane. „Qui commo-„da ipse sua," inquit, „bene intelligit, ne „occultum quidem crimen perpetrabit. Nam et „in turpem consuetudinem venire metuet, quae „ipsum aliquando prodere possit, et solent ea, „quae omnibus occultare debes, semper in men-„te relinquere aliquid, quo omnis omnino volup-„tas, caeteroquin ex maleficio percipienda, pereat. „Idem igitur ea tantum appetet, quae, salvâ secu-„ritate, acquirere poterit: quique hominum exis-„timationem consectetur, tum maxime voti compos „fiet, si bonâ sui ipsius existimatione ducatur (1)." Quid vero, si cui, omnia callide referenti ad utilitatem, necesse non sit, ut occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat, aut malum aliquod faciat: sed adeo obcoecatae sint hominum mentes eorumque mores corrupti, ut talia perpetrantem pro legum poenâ, aut civium odio, praemium et admiratio sequatur, nullus autem Dei metus cruciet, quem non esse, aut saltem res humanas non curare credat: omnes contra animi et corporis voluptates iniustum, infidum, inimicorumque suorum interfectorem maneant? Qui istis moribus civitatis rector in certa sua utilitate bonorum summum quaerat, ex Epicuri quoque et Benthami doctrinâ, non aliter ac princeps Machiavelli, ad rem suam sapiet. Sed haec hactenus. Alia adgrediamur.

Etenim, quanta re verâ in Machiavelli doc-

tri-

(1) Lib. I. Cap. XIII. pag. 85.

trinà prudentiae civilis progressio cernatur, quemque aptà fuerit ad meliorem regiorum disciplinam principumque agendi rationem inducendam, etiamsi ab inhonestis principiis profecta sit, tum demum plane atque accurate perspiciemus, si regnandi cursum, quem civitatium rectores in Italià ab eius inde aetate ad nostra usque tempora tenuerunt, cum vià, quam ipse iis monstravit, comparaverimus.

CAPUT VII.

Principia libelli del Principe cum factis principum, Italicorum maxime, posteriore aetate comparantur.

E Florentiae enim et Tusciae ducibus, ut ab his incipiamus, Alexandri Medicei crudelitas, perfidia, morumque libido cum tantà imprudentià coniunctà fuerunt, ut omnia omnino adversus Machiavelli praecepta peregerit. Cui, ab amentiae scelerisque socio Laurentino interfecto, Cosmus I et in regnum et in civium odium successit. Filii huius Francisci memoria eo maiore contemtu premitur, quo ad paternam perfidiam et saevitiam turpior etiam ipsius licentia, vanitas, ira, et intolerabilis Hispanicae auctoritatis patientia accederet. Quo veneno sublato, in Ferdinando et Cosmo II populi salutem procurandi facultas aliqua et voluntas apparuit. Sed huius rursus filii, Ferdinandi II, languor omnes a patre et avo in civium animis excitatos ardoris

ad

ad gloriam et industriam igniculos exstinxit! Cosmi III tam pusillus animus, ridiculus fastus et superstiosa religio fuit, ut, quam perpessus est, sortem, meruisse videatur. Ipso enim vivo, peregrini de regno eius pro lubitu decreverunt. Denique Mediceae familiae ultimus dux, Ianus Gastonus, non sanguine modo, verum etiam pessimâ imperii administratione stirpi suae cohaesit. Regni enim opes dilapidavit, nihil praesentem subditorum miseriam sublevans, nedum futuram curans. Idem de Parmae et Placentiae dominis, Farnesiis, dicendum est, quorum singuli, ab Ranutio inde I usque ad ultimum huius gentis ducem Antonium (ab A. 1592—1731), vel animi dissolutione, vel crudelitate, vel arrogantiâ, vel ignaviâ vel turpi largitione insignes fuerunt. Vincentius I, Franciscus IV, Ferdinandus et Vincentius II, omnes e Gonzagarum gente, sine ullâ exceptione, subditis suis misere vexatis ad omnem libidinem facem praetulerunt (1). Ne de modo loquamur, quo Siciliae, Sardiniaeque incolae per plura saecula habiti sunt, si ad Neapolitanum regnum oculos convertamus, iustissimâ indignatione movemur. Diu enim a regum legatis spoliatum fuit, qui nihil ad populi utilitatem, sed omnia ad temporaria et domestica peregre degentium principum commoda exigerent: cumque tandem

(1) Cf. de omnibus his principibus Sismond. l. l. Vol. XII passim.

dem Borbonicae stirpis principes nactum esset, Carolus VII vix inveterato imperii morbo remedia nonnulla afferre coeperat; quin Ferdinandus IV et Carolina uxor toti Europae ostenderent, quantum turpissima regis ignorantia (1) et negligentia atque perditi reginae mores simul ad pessumdandam civitatem valerent (2). Neque vero illae regiones, quae Pontificum potestati subiectae erant, meliorem sortem habuerunt. Horum enim tanta fere fuit publicae rei incuria, vel, si cura fuit, tam mala ipsius regni disciplina (3), ut non recipere civitatem, sed labantem tantum retinere potuerint. Denique populares civitates, exstincto omni libertatis amore, omnes paucorum nobilium fastidio, superbiae et arrogantiae succubuerant. Qui, suo unice commodo perpetuo intenti, populum non multum aut nihil adeo curabant: et vero subditos, qui in rei publicae agro degebant, misere vexabant (4).

Itaque, si paucissimos exceperis, qui tantum non om-

(1) Cf. in primis Eustathius, *Classical tour through Italy*, Vol. II initio, qui, ubi affirmat aliquid, quod non est in principum aut Italorum favorem, omnem fidem meretur.

(2) De Neapolitani regni fatis dignus est, qui consulatur, Orloffius, auctor operis: *Mémoires historiques, politiques et littéraires sur le royaume de Naples*. Vol. V. Par. 1819. „Le Gouvernement est tel dans ce royaume, qu'il n'y est „ souvent qu'un désordre de plus." Dupatyus, Epist. CIV.

(3) Vid. Sismond. T. XII p. 172 sqq.

(4) Verissime iam animadvertit Machiav. Discors. Lib. II. Cap. II. nullam servitutem duriorem esse, quam eorum, qui liberis civitatibus serviant.

omnes exteri essent, per tria fere saecula, quae inde a Machiavello praeterierunt, sic rexerunt Italiam ii, penes quos omnium summa rerum esset, ut principis, quem ille informavit, ne umbram quidem retulerint. Omnes, qui illius regionis annales evolvunt, dolere debent: quamquam ipsius Machiavelli doctrina posteriorum temporum humanitati repugnet prorsus: sed tamen dolere debent, civitatium illos moderatores non huius praecepta potius, quam lubidinem suam et temeritatem secutos esse. Penitus enim morbi naturam cognovit Machiavellus, quo Italiae regna consumebantur: et medicinam vehementem quidem, sed eam tamen iis adhibere studuit, quam tolerare posse videbatur aegrorum infirmitas: sed insanabile malum erat, vel saltem non est sanatum. Eadem enim viâ, a quâ suae aetatis principes revocare conatus est, hi et successores eorum in sui odium et contemtum, subditorum servitutem et interitum, et peregrinorum dominationem proruperunt: omnia omnino peragentes, quae ille principe indigna pronuntiavit: omniaque eius consilia, quibus melior aliquando rerum ratio constitueretur, spernentes. Secuta igitur sunt omnia mala, quae Machiavellus mente praesagivisse videtur: adeo doloris quidam et tristitiae sensus in scriptis eius cernitur, et mire nos afficere solet. Sententiam illam: propositi finis adsequendi causa, quae *necessaria* sunt, cuncta licere; cuius principium retinuit Machiavellus, acerbitatem vero, docendo multa laudabilia facinora *necessaria* esse, multaque vitia et crimina *non*

ne-

necessaria esse et nocere adeo ad regnandum, mitigavit: hanc igitur sententiam in imperio administrando civitatium rectores, in religione tuendâ, vel potius in vindicando Ecclesiae Romanae dominatu, Jesuitae et Pontifices pari impudentiâ et imprudentiâ amplexi sunt, multique sine ullâ dubitatione professi videntur; uti consilia Galliae principibus ad exstirpandam Hugenotorum haeresin data, profusaque de strage Parisiensi laetitia satis declarant. Et vero crassum illud sibi unice vivendi, propriaque commoda persequendi studium, quod omni aevo in Italorum animis viguerat, qui *libertatem* appellabant victricium partium in victas imperium, quodque explicuit, perpolivit, et cum magnâ subditorum utilitate et felicitate coniunxit Machiavellus, magis magisque eorum instituta, mores, leges pervasit: et omnia fere melioris indolis semina oppressit (1). Ita-

(1) Cf. egregiae Simondii observationes T. XII. Cap. CXXIV. „ Les lois, les moeurs, l'exemple, la religion „ même, telle qu'elle étoit pratiquée, tendoient à sub„ stituer en toute chose l'*égoisme* à tout mobile plus noble." De Italorum indole et ingenio sine partium studio ingeniosissime disputare videtur nobilissima foemina de Stael-Hollstein in opere: *Corinne*, Lib. VI, qui inscribitur: *les moeurs et le caractère des Italiens.* „ Il y a dans „ ce pays," inquit, Cap. II. „ un bizarre mélange de sim„ plicité et de corruption, de dissimulation et de vérité, „ de bonhommie et de vengeance, de faiblesse et de force, „ qui s'explique par une observation constante: c'est, „ que les bonnes qualités viennent de ce qu'on n'y fait „ rien pour la vanité, et les mauvaises, de ce qu'on y „ fait beaucoup pour l'intérêt, soit que cet intérêt tienne „ à l'amour, à l'ambition ou à la fortune." Quae autem in ele-

Itaque, quam regionem in scribendo ante oculos habuit Machiavellus, huius quoque annales palam omnibus faciunt, quanto princeps eius omnes fere antecellat, qui omni tempore ibi regno functi sunt. Nobis igitur Italia perpetuo respicienda est, si vere de Machiavelli meritis pronuntiare velimus. Sed nescio quanam fati iniquitate factum sit, ut recentiorem illius historiam neglexerint, quotquot in interpretando Machiavello versati fuerunt: contra vero multi eius praeceptis tribuerint omnia illa scelera, quibus Gallia in primis, saeculo decimo sexto, oppressa fuit. Novimus enim, regnum illud, bellorum civilium, religionis causâ et specie gestorum, tempore, adeo famosam fuisse caedibus, veneficiis, et innumeris perfidiae licentiaeque documentis, ut scelerum atrocitate ipsam adeo Italiam superaverit. Cum igitur increbesceret fama, in Catharinae Mediceae aulâ, Galliae sentinâ, tum ab aliis Machiavelli opera studiose legi, tum in primis ab Henrico III, quo faciliori via et ratione perversum vitae cursum persequeretur, nihil potius habuerunt scriptores, quam ut Machiavellum gravissi-

elegantissima illa Corinnae epistola de Italicis feminis scribuntur: „Les femmes entendent parler d'amour sans „cesse, vivent au milieu des séductions et des exem„ples de l'amour, ne cachent pas leurs sentimens, et „portent, pour ainsi dire, une sorte d'innocence dans la „galanterie même" haec, si ad sinceritatem transferamus, quâ Machiavellus praecepta sua palam professus est, facile intelligemus, qui factum, ut, nemine culpante aut improbante, exponere illa potuerit.

simorum criminum, a Galliae rectoribus perpetratorum, auctorem facerent. Quo quod iniquius cogitari possit, equidem non video. Ut enim omittam, Italos et Hispanos nequaquam ab uno auctore mutuatos esse consilia sua, sed domesticam sentiendi cogitandique rationem et pestiferos popularium mores in Galliam et Belgium importasse: unde in patriae nostrae historia, iis temporibus, funditus eversae urbes (1), clandestinae caedes, fidei fractae exempla utramque paginam faciunt: ut illud igitur omittam, principes viri, Carolus V (2) et Franciae Reges, Machiavellum in deliciis habuisse videntur, sed ita, ut non solum libelli *del Principe*, sed Livianarum etiam quaestionum studium (3) cum Thu-

(1) Grotius in Annal. Lib. II. pag. 38. Ed. Amstel. A. 1658. ,, Capta et Zutphania, inquit, a Friderico, Albani filio, dum ,, deditio paratur, ubi in oppidanos post tormenta et stupra ,, saevitum caedibus, nullâ aetatis, nullâ sexus reverentiâ. ,, Post Narda Hollandiae oppidum vastatur simili feritate, ,, dirutaque moenia antiquo ultionis exemplo. Haec Hispani ,, aliis quoque bellis haud insolita sibi ad celerem victo- ,, riam profutura credebant, cum contra homines re nulli ,, magis quam clementiâ vinci assuefeceris."

(2) Cf. Mu'leri *Algem. Geschichte*, Lib. XIX. Cap. I. ,, Die höhere Politik war zu Karl's Zeit überhaupt unaus- ,, gebildet: es ist wahr, dasz er den Thucydides und Ma- ,, chiavelli fleissig vor sich hatte; aber es ist weit, von ,, dem Studium eines Autors, bis man seinen Sinn sich so ,, eigen macht, um im Getümmel der Geschäfte und Lei- ,, denschaft seiner Weisheit getreu zu bleiben."

(3) Cf. *Davila, delle guerre civili di Francia*, Lib. VII. p. 319. Oper. Vol. II. Ed. Mediolan. A. 1803. ,, Il ,, Re (Enrico III) per indirizzare più regolamente il filo

,, del

Thucydidis, Taciti et Polybii lectione coniungerent. His igitur non tam operam dedisse videntur, ut Machiavello, tanquam turpitudinis magistro, uterentur: quam, quod scripta eius cum praeclarissimis antiquorum ingeniorum monumentis pari loco habuerunt. Illud dubium non est, quin si artes, quibus in imperio administrando Galliae Reginae et Reges usi sunt, ex Machiavelli principiis diiudicemus, principum illorum ratio universe vehementer improbari debeat. Singularem certe Guiseorum ducum prudentiam admiraturus et laudaturus fuisset Machiavellus: sed quânam tandem indignatione eum Henricum III lacessiturum fuisse putabimus, qui incredibili libidine abiectissima Imperatorum Romanorum scelera instaurando, subditorum odium et meruit et consecutus est: iuraque sua adeo nihil asserere potuit, ut idem et Polonos, subditos suos, clam effugeret, et inertissimus Galliae rex evaderet? Machiavellus ubivis docet, prudenter et prospiciendum esse et cedendum temporibus: non vexandos esse subditos, sed corrigendos: eorum amorem et reverentiam omnium principi firmissimum esse praesidiorum: inutilia quaevis crimina nocere: fraudem necessariam esse, sed improbis adhibendam: praecipuam denique regis curam in eo versa-

„ del suo disegno aggiugnendo la teorica alla pratica, si „ riduceva ogni giorno dopo pranzo con Baccio del Bene „ e Jacopo Corbinelli Fiorentini, uomini di molte lettere „ greche e latine, da' quali si faceva leggere Polibio, Cor„ nelio Tacito e molto più spesso *i discorsi ed il princi„ pe del Machiavelli.*"

sari debere, ut a nemine, nisi a se ipso pendeat. Haec autem praecepta a Catharina Medicea non observata sunt. Cuius ars omnis et calliditas in eo versabatur, ut alii in regno factioni aliam, filiorum alteri alterum, opponeret (1), et identidem nova bella suscitaret. Dividebat subditos, ut ipsa regnandi lubidine frueretur: nihil vero unquam fecit, *ut regnum*

(1) Quotidie illud: *divide, ut imperes:* Machiavello adscribitur. Cum autem hoc non sine maximâ cautione accipiendum sit, operae pretium videtur, veram eius sententiam h. l. paucis explicare. *Acquirendi* igitur imperii causâ, huc enim Machiavelli doctrina redire videtur, omnino utile esse potest, factiones alere in eâ civitate, quâ potiri velis. Itaque te veluti arbitrum interponas ad *conciliandas discordias*, et utrique parti favere te simules, *donec ad arma perveniant.* Ad quae cum ventum fuerit, parti, quae debilior videtur, lenta quaedam auxilia suppeditanda sunt. Atque, ne discedant ab armis, sed magis magisque sese mutuo conficiant, interdum auxiliorum spe fovendae, nunquam vero magnis opibus augendae sunt: tum enim dolum subesse forte suspicantur. Sic fessae tandem factiones arbitrio ac voluntati tuae sese committent. His artibus Pistoria in Florentinorum potestatem rediit. Cavendum vero est, ne intestina rei publicae dissidia nos ad eam armis invadendam invitent. Hoc consilium dubii est eventûs: saepissime enim eâ re discordiae tolluntur, infensique civium animi reconciliantur. — Quod si vero de *retinendo* et *firmando* imperio sermo sit, aliâ prorsus viâ ingredi debent principes aut civitates. Erat quidem mos cum Venetorum, tum maiorum nostrorum, ut in nonnullis, quas imperio suo subiecerant, urbibus dissidia alerent: et hodie adhuc perpetuo in ore habent vetus illud adagium nostrorum temporum sapientes: „Pistoriam domesticis factionibus retinendam „esse, Pisas arcibus:" neque negamus, antiquitus hoc praeceptum minus perniciosum fuisse, quam hodie; et

num tutum redderet et diuturnum. Itaque ab omnibus fere contemta diem supremum obiit.

Iustissimum sane fuit odium, in quod Itali, in primis Florentini, apud Gallos incurrerunt, quorum regio bis eorum sceleribus impleta fuit (1): horum tamen culpam in Machiavellum coniicere, iniustum est (2). Cuius placita, progressu temporis, forte nocuerunt: iis hominibus, istis popularibus, quo prudentior, eo etiam melior, censendus est. Neque excusandi videntur, quicunque, brevi

et pacis tempore interdum usui venire posse divisiones, per quas facilius eos, qui in tuâ potestate sunt, regere possis: sed iidem affirmamus, talia consilia, bello exorto, fraudem tibi facere, et saepius in tuam civitatem civiles discordias transferre. Quapropter celebranda est legati illius Gallici sapientia: qui, cum in Italiam missus esset, Florentinis erepta loca restituendi causâ, et ubique inveniret, qui sese optimarum esse partium iactarent, hosce vehementer vituperabat: et nunquam laturum Galliae Regem aiebat, ut in aliquâ urbe suâ civis aliquis sese factionis alicuius esse profiteretur, ne regiae quidem: omnia enim concordiâ et amore in civitate coniuncta esse debere. Sed nostrorum principum imbecillitas ad perniciosas istas artes confugere solet: quoniam opportuno tempore iustâ severitate uti nesciunt. Viribus igitur potens princeps nunquam tales urbium dissensiones feret. Ita conciliandia sunt loca in opusc. *del Principe* Cap. XX; Disc. Lib. II, Cap. XXV; Lib. III, Cap. XXVII. — Et profecto totam Machiavelli doctrinam ad concordiam et quietem in civitate retinendam spectare, satis iam nobis innotuit.

(1) Tempore Catharinae et Mariae Medicearum. Cf. quoque Rehberg. loc. laud. p. 202: qui tamen de eâdem re in aliam partem disputat.

(2) Quod passim fecit Cretellius, *Histoire de France, pendant les guerres de religion.* Vol. III. Brux. 1824.

vi post, in eum invecti sunt: nisi quatenus, vituperatione sua, declarare voluerunt, sese abominari prorsus doctrinam eam, cuius principia Machiavellus profitetur. Factum est enim, ut, quae in Hispaniâ et Italiâ, nemine fere contra dicente, viguerant artes, hae, simul atque in Galliâ et Belgio, veluti in ampliori scenâ aliquâ, prodierint, bonorum strepitu explosae sint. *Harum* vilitas et inutilitas non diu latuit gentes Germanicas, quibus purior humanitatis honestatisque lux oborta esset: cumque, ut his potissimum exemplis utamur, Catharinae Mediceae, Caroli IX, Henrici III, Guiseorum et Granvellae Cardinalium, Albanique ducis perfidia et crudelitas cum Hospitalii, Nuaei, Colignii, Mornaei, Henrici IV et Gulielmi I. fide et integritate certarent, mox intellexerunt omnes, callida et fraudulenta consilia contemnenda esse prae iustitiâ et fidelitate. Placitum illud, propositi adsequendi causâ cuncta licere, retinuerunt quidem illi, qui eo potissimum modo religionis causam tuerentur: sed, quo tempore Davila laudandae Mediceae aviditatem satiare non potuit (1); Muretus, efferendâ Hugenotorum caede, Parisiis factâ, divinam eloquentiae artem abiecit, eandemque stragem, consiliis decessoris maturatam (2), Pon-

(1) Loc. laud. Lib. IX. Vol. III pag. 317–319. Cf. omnino Rebberg. pag. 201 – 209.

(2) Cff. epistolae a Pottero denuo editae: *Lettres de Pie V.* Brux. Tarlier. 1827.

Pontifex Romanus divinum facinus proclamavit (1), et Philippus II effusâ laetitiâ celebravit (2); Henricus III, IV, et Gulielmus I in Ecclesiae honorem clandestinâ nece perierunt; eodem igitur tempore, civilem prudentiam a moralibus praeceptis ne cogitatione quidem seiungi oportere, ii in primis docuerunt, qui Christiana sacra ad priscam simplicitatem sublimitatemque revocarent. Quo contigit, ut dehinc doctrinam, quam publice adhuc sine ullo offensionis metu professus erat Machiavellus, boni repudiarent, improbi et potentes callide dissimularent. Quod igitur antea inter imperantes non culpae sed moris fuerat, deinde, si minus e moribus evanuit, culpae tamen infamiam in communi hominum opinione contrahere coepit.

CAPUT VIII.

Iter adumbratur ingenii humani, quo ad sapientiam civilem gentes Europeae pervenerunt. — Hugonis Grotii in hanc rem merita.

Hoc autem loco animadvertere iuvat, quo modo ad civilem sapientiam pervenire soleant gentes. Melius *ita honestatis illam et utilitatis distinctionem,*

quae

(1) Cf. Cretellius, Vol. II, p. 155.
(2) Cf. idem p. 156.

quae in Machiavelli opusculo occurrit, perspiciemus, et simul sponte intelligemus, *quem locum doctrina eius in ipsâ humanitatis historia occupare mereatur*. Eâdem igitur viâ progrediuntur populi, quam sequitur ingenium humanum. Cuius ratio est, ut, priusquam ad veram sapientiam accedat, ea excogitet admireturque maxime, quae acumine, sollertiâ, calliditate praestant. Cernimus hoc in pueris, qui primum, quid sapientia sit, nec sciunt, nec scire magnopere avent: sed, ut ab aliis acceperunt, vel ipsi invenerunt, quae ingeniose sunt excogitata, valentque mirifice ad dextre efficiendum, quod quis machinatur, tum delectantur eximie, nec his cognoscendis explorandisque satiari possunt. Nec vero alia est gentium ratio, ubi ad politicam prudentiam, quae cum virtute et sapientiâ coniuncta est, contendunt. Non eo perveniunt continuo, sed primum confundunt illam cum artibus et machinationibus politicis: et vero eo sibi videntur prudentius sapientiusque agere, quo callidius sollertiusque se ex omni expedire difficultate possint.

Eandem artis politicae originem et progressionem cernimus in eâ gente, quae uti philosophiae omnis, ita civilis quoque doctrinae auctor merito celebratur. Cum enim sacrae aetati apud Graecos civilis successisset, exorti sunt ubivis, qui ipsi de prudentia civili cogitarent, opinionesque suas ad doctrinae formulam redigerent. Sophistae vocari solent: alii aliunde oriundi, sed commune habentes, quasi recep-

ta

taculum, Athenas, quae scilicet urbs, post bellum Persicum, sapientiae theatrum fuit habitumque est. Hi autem scientiam hanc inchoantes, insitum hominum animis proprii commodi omni modo provehendi studium unice excolere, speciosisque ratiociniis obtegere studebant. Quo factum, ut eorum alii improbissimam vitam cum felicitate coniunctam longe iustissimae, sed infelici anteponerent: sapientisque esse pronuntiarent, ex omni re sive iustâ sive iniustâ, quam sibi putet fructuosam fore, lucrari, et simulare iustitiae amorem, clam vero iniutiae operam dare: alii autem iustum nihil esse monerent, quam eius, qui plus posset, commodum, τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον. Hi meram stultitiam vocabant eam virtutem, quae alienis utilitatibus serviret, dum sibi noceret: iniustitiam vero ideo celebrabant, quod sui cultorem stultis imperare, seque ipsum beatum reddere doceret. Quin ipsâ naturâ haec ita constituta esse aiebant: tantum enim inesse hominibus πλεονεξίας studium, ut omnes tum illud tanquam summum bonum amplectantur, tum legis unice vi ad aequalitatis observationem cogantur, tum vero potentissimos quosque iniustissimosque beatissimos praedicare soleant. Hac ratione omnia calliditati propriaeque utilitati tribuentes, virtutem et iustitiam prorsus tollebant. Quorum philosophia peiora etiam mala Graecis civitatibus intulisset, nisi exstitisset, qui iustitiae causam susciperet, hominesque ab externarum rerum specie ad sui cognitionem avoca-

caret, Socrates. Hic eorum ineptias disserendique subtilitatem confutavit, suamque virtuti dignitatem reddidit: nunquam quaerens, quid utile aut callidum, sed unice, quid bonum, iustum, honestum esset. Plato autem δοξαστικὴν Sophistarum ἐπιστήμην cunctis fere scriptis suis ita exagitavit, atque naturae divinae auctoritatem et humanae praestantiam vindicavit, ut nemo unquam mortalium praeclarius id fecerit. Cecidit igitur Sophistarum ars, quae antea floruerat: contra vero sic exculta philosophia politica est, ut firmissimis niteretur virtutis iustitiaeque fundamentis (1).

Simili autem ratione recentiores gentes Europeae processerunt. Quae cum initio a sacrâ pontificum auctoritate pependissent, sensim sensimque et hoc iugum excutere, et per semet ipsos civilem prudentiam exquirere studuerunt. Prima huius progressionis vestigia in Italiâ apparent. Notum enim est, ibi, inde a saeculo XII, praeclarissima ingenia summo ardore pontificum et vitia perstrinxisse, et temporalem potestatem labefactasse;

(1) Loca classica apud Platonem, quibus Sophistarum de iustitiâ opiniones recensentur, exstant in Gorgiâ, Sophistâ, Protagorâ, passim; in primis in lib. I de Repub. Quominus autem hoc argumentum pluribus persequar, otium mihi faciunt, ut reliquos mittam, Heerenius, *Ideen* etc. Vol. VI p. 356 sqq. Edit. Belg. Groenius, *distribe in Platonis polit. princ.* p. 3-33; Geelius, *Hist. Crit. Sophistarum.* Ultraj. 1833: quibus nuper accessit Socraticâ *de Socratis ironiâ* disputatione optimus commilito Badon. Gryben. Ultraj. 1833, pag. 5 sqq. et pag. 84 — 92.

se; tum multas civitates studium incredibile contulisse ad Romanae aulae auctoritatem in negotia sua tollendam. Quod tamen iisdem artibus exserere solebant, quibus usi erant ipsi Pontifices, quaeque ingenii humani civilisque prudentiae veluti infantiam referebant. Suas singuli utilitates sectabantur: neque eo sagacitatis pervenerant, ut aliorum quoque commodum hac propria utilitate contineri existimarent. Nondum ita excitatus erat sensus moralis, ut civilem prudentiam cum iustitiâ et virtute coniungerent. Propria autem haec popularibus suis studia Machiavellus tum retulit, tum excoluit. Nam et pontificiae ipsum arrogantiae pertaeduit, cui omnes fere Italiae calamitates tribuit, civitatiumque rectores ante omnia hortatur, ut sui iuris evadant, nemini sese mancipent: tales autem sacerdotum mores esse pronuntiat, ut aequales suos et pulcherrimam adeo religionem corruperint (1): huiusque adeo ad nativam suam simplicitatem revocandae necessitatem declarat (2). Idem vero, tam intimo doloris sensu, perversis institutis pessumdatam Italiam esse significat, tanta

(1) Disc. Lib. I. Cap. XI.

(2) Cf. Discorsi. Lib. III. Cap. I. ubi inter alia ita disputat. » Quanto alle sette," inquit, ,, si vede ancòra queste rinnovazioni esser necessarie, per l'esempio della nostra Religione, la quale se non fusse stata ritirata verso il suo principio da san Francesco e da san Domenico, sarebbe al tutto spenta. Perchè questi con la povertà, e con l'esempio della vita di Cristo la ridussono nella mente degli uomini, che già vi era spenta, e furono sì potenti gli ordi-

taque gravitate harum causas rerum commemorat, ut Platonem legere tibi videaris, corruptae Atheniensis civitatis conditionem exponentem. Et vero cuncta Machiavelli placita ad pessimam illam popularium conditionem *emendandam* comparata sunt, ita ut, quid *prudentia* civilis efficere possit, principiis suis politicis ostendisse censeri debeat. Sed eâ ipsâ in re dici vix potest, quantum Platoni cedat Machiavellus. Ille enim omnia omnino ad virtutem retulit, hic *artem civilem ne in optimâ quidem civitate cum virtute coniungi posse* docuit. Ergo uti ambo in unius ingenio civitatium salutem quaesiverunt, ita a philosopho, quem Plato rei publicae praefecit (1), tantum distat Machiavelli princeps, quantum a sapientissimo mortalium callidissimus. Verum, uti in arte civili ab honestate seiungendâ aequalium erroribus ducebatur Machiavellus, et Platoni-

» dini loro nuovi, che ei sono cagione, che la disonestà
» de' Prelati e de' Capi della Religione non la rovini, vi-
» vendo ancòra poveramente, e avendo tanto credito nelle
» confessioni con i popoli, e nelle predicazioni, ch' e' dan-
» no loro ad intendere come egli è male a dir male del
» male, e che sia bene vivere sotto l'ubbidienza loro, e
» sè fanno errori lasciargli castigare a Dio. E così quel-
» li fanno il peggio che possono, perchè non temono quel-
» la punizione, che non veggono o non credono. Ha
» adunque questa *rinovazione* mantenuto e mantiene questa
» Religione."

(1) Quisnam eo demum nomine dignus sit, optime explicat Geerius, in *diatribe in politices Platonicae principia*. Traiect. ad Rhenum 1810, pag. 165.

nicae doctrinae veritatem et sublimitatem ne suspicatus quidem esse videtur, ita tamen a Sophistis quoque differt. Hi enim ingenii acuendi vel eloquentiae iactandae causâ in utramque partem disputare, vel omnes virtutis notiones confundere solebant, ita ut iustum iniustum, iniustum contra iustum vocarent. Ab hac autem temeritate vel ignorantiâ alienus est Machiavellus. Ipsum ille boni et mali discrimen adeo non tollit, ut probo homini vitae privatae innocentiam longe tali imperii administrationi anteponendam esse affirmet, quae cum magnâ crudelitate interdum coniungi debeat (1): sed illud docet, artem civilem cum virtute penitus coniungi *nunquam* posse, et saepissime *totam* huic repugnare: principem igitur et civitatis rectores, si *bene regnare* velint, utilitatem fere honestati praeferre debere.

Quae cum ita sint, cumque omnia in Italiâ corrupta essent, quae unica bene ordinatae et moratae civitatis fundamenta iure censentur, facile inde efficimus, vitia, quae artis civilis praeceptis et gentium institutis inhaererent, emendari non potuisse: quamvis illa et Platonicâ sagacitate perspexerit et sincere exstinguere conatus sit Machiavellus: sed tamen emendari non potuisse ab *Itali* ingenio et eius regionis incolâ, *in quâ perpetua probitatis, religionis et prudentiae civilis disiunctio obtinuerat, sed a Germanicis tantum gentibus, in quibus incorrup-*

(1) Haec doctrina a Machiavello paucis verbis exprimitur, quae pag. 224. nota I. laudavimus.

ruptus veri, boni et iusti sensus sese exserere coepit. Itaque hoc iugum, quod ipsis Italis intolerabile videbatur, abiecerunt: religionem Christianam, quod necessarium duxerat Machiavellus, ad simplicitatem suam reducere tentarunt: et civilem prudentiam non calliditate, sed *sapientia* consistere debere docuerunt. In quibus gentibus alii aliter de humanitate praeclare meruerunt: qui vero, omnium maxime, gentium negotia, tam in pace quam in bello, ad *iustitiae* normam exigeret, et omni humanarum divinarumque rerum scientiâ explicaret, *Hugo Grotius* fuit.

Nec mirum. Hic enim ex illo prodiit populo, qui primus ceteris nationibus verae civilis et religiosae libertatis tum armis asserendae tum legibus institutisque firmandae, et optimarum artium studio ornandae exemplum dedit. Tanti igitur viri, perpetuo explorantis, quid iustum aut iniustum, divinis praeceptis congruum aut incongruum esset, merita immortalia sunt, si, uti vulgo fit, ad posteriorum labores exigantur: quod si vero doctrinae eius sanctitas et innocentia cum perversâ cogitandi agendique ratione comparetur, quae plerisque eorum, qui in Europâ imperio praeessent, propria adhuc erat, singularia et ferme divina censeri debent. Uti enim Socrates et Plato apud Graecos acerrimi iustitiae virtutisque adversus Sophistas antistites fuerunt, ita Hugo Grotius primus inter recentiores veris principiis gravissimam iuris publici et gentium disciplinam fundavit.

EPI-

EPILOGUS.

Itaque praecipua quaeque, quae nobis ad opusculi argumentum illustrandum et merita declaranda accommodata esse videbantur, animo perlustravimus. Et finem scriptioni facturi, haud meliorem sane invenire possemus, quam Grotii meritis exponendis, quae posteriorum temporum levitas obscurare quidem studuit, sed nostra aetas magis magisque grata agnoscit. Quo minus vero hic subsistamus, interpretis munus, quod suscepimus, vetat. Unum enim illud, et grave profecto, superest; ut, *quomodo Liviana commentaria cum libello del Principe cohaereant*, paucis indicemus.

Elegans haec quaestio superiores Interpretes fere omnes vexavit. Qui, in utroque opere multa similia, nonnulla diversa occurrere suspicati quidem sunt, nunquam vero, unde haec convenientia et differentia explicanda essent, accurate exposuisse, aut ipsi perspexisse videntur. Et tamen, nisi haec bene intelligantur, non solum manca erit omnis de civili Machiavelli doctrinâ disputatio, sed ne ipsum quidem *del Principe* opusculum interpretari poterimus. Quae peritissimos viros latuerunt, nos invenisse, nequaquam iactamus; sed quid nobis, diu hac de re cogitantibus, de nobilissimo argumento existimandum videatur, lectorum iudicio modeste submittimus.

Et

Et primum quidem animadvertendum mihi videtur, Machiavellum, uti iam antea vidimus (1), alio proposito aliâque opportunitate Livianas quaestiones, quam libellum *del Principe* scripsisse. Unde mihi non exigua utriusque operis differentia explicanda videtur. In commentariis enim, e Livii verbis aut Romanorum institutis, moribus, rebus gestis, prudentiâ, perpetuam disputandi materiam sumit Machiavellus; recentioresque tantum memorat, ut palam omnibus faciat, hos, quo longius ab antiquorum viâ deflexerint, eo propiorem sibi interitum paravisse. Minoris contra opusculi argumentum et haustum est totum ex Italiae conditione, qualis Machiavelli tempore exstitit, et ea tantum praecepta continet, quae huic conditioni *statim* emendandae accommodata essent: et, quamvis in eius auctore studiosissimum antiquitatis cultorem facile agnoscas, antiquorum tamen res gestae unice illustrandi causâ excitantur. Quocirca alterum opus *historicum* et *politicum* merito appellaveris, aptissimum profecto, e quo talem institutionem perciperent optimi adolescentes, quae aliquando Italiae malis et vitiis sanandis fructuosissima esset: alterum *actionem* et *proximum vitae usum* magis spectavit. Quae igitur de vi religionis in civium animos (de eâ autem in commentariis unice, tanquam de instrumento bene ordinati imperii, agit Machiavellus,) de bonis legibus, de multorum Romanorum virtute, fu-

(1) Cf. Lib. I Cap. III pag. 95 sqq.

variorumque institutorum excellentiâ in maiori opere fuse disputat, haec omnia in libello sine causa erant. Ad Italorum mores rite emendandos *omnemque* regnorum disciplinam firmandam longissimum temporis decursum requiri, nemo unquam eorum, qui de civitate scripserunt, Machiavello acutius perspexit. Itaque, quod ante omnia patriae conditio efflagitare videbatur, ut principes re verâ regnare, sui iuris evadere, subditorum amorem et reverentiam mereri, patriamque a barbaris liberare discerent: hoc propositum tam constanter et presse persequitur, ut in ceteris omnibus sese prorsus ad aequalium errores principumque vitia accommodet; nihil ab iis postulans, quod in tantâ hominum perversitate ab iis exspectari posse, ipse diserte sese desperare monet. Haec enim vitia non nisi temporis beneficio emendari posse merito censuit; neque dubitasse videtur, quin, si semel regni officia et vera sua commoda melius perspicerent principes, ii, qui sensim sensimque praeceptis ipsius formati et praeparati essent, *omnem* civitatis disciplinam corrigerent, suumque bonis moribus et religioni honorem redderent. In Livianis autem quaestionibus, in quibus Romanorum excellentiam declaravit, causasque, quibus eorum praestantia tribuenda esset, memoravit, quasque eo consilio scripsit, ut generosos iuvenes optimarum et utilissimarum rerum cognitione imbueret, quibus *aliquando* ad patriae salutem, si res ita ferret, uterentur, in his igitur gravissimae illae disputationes,

quas modo memoravimus, praecipuum locum habent.

Itaque utrumque opus meliorem civitatium et principatuum disciplinam spectat: illud vero consilium alterum altero propius et intentius petiit: aliaque scribendi opportunitas aliam utrique scripto formam conciliavit. Sed, quamquam formâ differant, re tamen ipsâ egregie convenire censeri debent. Primum enim ex eodem fonte, antiquitatis scientiâ et longâ rerum experientiâ, fluxerunt: in utroque dominatur plane intimus ille tristitiae et indignationis sensus ob pessumdatos Italicorum tyrannorum et civitatium mores; in utroque eaedem pestis istius causae exponuntur, eademque remedia indicantur. De minori opusculo satis supra vidimus. In quaestionibus Livianis identidem affirmat auctor, Italiam toto terrarum orbi pessima quaeque exempla dedisse, ibi nullam vigere religionis, legum aut militiae observantiam, sed omnia foedissimâ barbarie esse inquinata (1); rerum autem publicarum ibi non meliorem esse, quam regnorum conditionem. Utraque opera illorum verborum vim declarant, quae Machiavellus usurpavit, cum profiteretur, „in „principibus nullum cerni verae gloriae studium, „in rebus publicis nullum institutum laudabile." Plerasque earum infirmis fundamentis niti contendit: ipsam adeo Florentiam rei publicae nomine in-

(1) Cff. Discors. Lib. I. Cap. XII, LV. Lib. II. init. ell. Cap. IV, et Cap. XVIII. Lib. III. Cap. XV.

indignam pronuntiavit (1). Semper enim victricis factionis lubidinem subire debuit: quique interiorem urbis disciplinam corrigere susceperant, nunquam in communem utilitatem, sed semper in suae partis favorem illud aggressi sunt (2). Cum iis autem, quae de rerum publicarum vitiis et morbis variis locis in commentariis monuit, ita plane consentit gravissima illa civis Florentini ad Senatum oratio, ut eum ex Machiavelli persona verba facere sponte intelligamus (3). „Communis illa," inquit, „Ita- „licarum civitatium corruptela nostram quoque „rem publicam cepit atque etiamnum consumit. „Ab eo inde tempore, quo haec provincia Impe- „ratorum iugum excussit, urbes, in ea sitae, quip- „pe freno potenti, quo regerentur, liberatae, ita „civitatem ordinaverunt, non ut liberae evade- „rent, sed ut divisae in factiones manerent. Hinc „omnes illae calamitates malaque, quae eas exer- „cent, originem traxerunt: praesertim, quod in- „ter

(1) Cff. Discors. Lib. I. Cap. IX. et Cap. XLIX. » Mai ha avuto Stato, per il quale ella possa veramente essere chiamata Republica." De pessima rei publicae Florentinae ordinatione cff. Discors. Lib. I. Cap. VIII. Lib. II. Cap. XXX, XXXIII. Lib. III. Cap. XV. Istor. Fior. Lib. II. init. Lib. III. init.

(2) Lib. I. Cap. XLIX. » Benchè molte volte per suffragj » publici e liberi si sia dato ampla autorità a pochi Citta- » dini di poterla riformarla, non pertanto mai l'hanno or- » dinata a commune utilità, ma sempre a proposito della » parte loro."

(3) Cff. Istor. Fiorent. Lib. III. init.

„ ter cives nec amicitià nec concordia esset, nisi in-„ ter eos, quos forte scelera et flagitia, vel in patriam „ vel erga privatos admissa, coniunxissent. Cum-„ que in omnium animis religio, Deique reverentia „ exstinctus sit, sequitur inde, iuratam fidem „ tantisper aestimari et observari, quamdiu utile „ videatur: eâque homines uti, non ut servent „ illam, sed ut eius ope facilius decipiant. Eo „ enim plus laudis atque gloriae sibi partum pu-„ tant, quo facilius ac tutius fraudem perpetra-„ runt. Hinc illi, qui nocere solent, industrii, „ boni vero simplices stultique habentur. Atque, „ ut verum ingenue fateamur, quidquid vel ip-„ sum corrumpi vel alios corrumpere possit, id „ omne in Italiae urbes confluxit. Adolescentes „ in otio, senes in libidinibus tabescunt: omnis „ sexus et aetas flagitiosis moribus inquinata sunt, „ quibus ne bonae quidem leges, quippe malis „ consuetudinibus depravatae, mederi possunt. „ Hinc avaritia ista, quae in civibus nostris con-„ spicitur, et cupiditas non verae gloriae, sed „ probrosorum honorum: ex quâ odia, inimici-„ tiae, dissensiones, partium studia derivantur, „ quae tandem exilia, caedes, oppressiones bono-„ rum, sceleratorumque amplitudines nobis exhi-„ bent. — Quod autem longe perniciosissimum „ est, cernimus, factionum principes conatus suos „ piis nominibus cohonestare. Semper enim liber-„ tatem, quam in odio habent, ita opprimunt, „ ut tamen eam in optimatium vel popularis status

„ fa-

„ favorem propugnare videantur. Praemium, quod
„ ex victoriâ venantur, non assertae libertatis gloriam,
„ sed illud tantum spectat, ut de subiugatis civibus
„ sibi gratulari, imperiumque in eos vindicare pos-
„ sint. Quod quidem cum consecuti sint, nullum
„ reliquum est iniustitiae, crudelitatis et avaritiae
„ genus, cui non effuse sese tradant. *Inde leges
„ non ad publicum, sed ad privatum commodum con-
„ duntur:* inde bella, pacem, foedera non in pu-
„ blicam gloriam, sed in paucorum emolumentum
„ concedunt. Et, si reliquae civitates huiusmodi
„ corruptelâ plenae sunt, nostra sane omnium
„ inquinatissima censeri debet: siquidem in eâ
„ leges, instituta, disciplina non ad conservan-
„ dum liberum vivendi genus, sed ad fovendam
„ ambitionem eorum, qui superiores exstiterunt,
„ semper et ordinata fuerunt, et adhuc ordinantur.
„ Unde repetendum, quod, aliâ parte superatâ,
„ aliâque divisione exstinctâ, mox aliae emer-
„ gant. Necesse autem est, ut ea civitas, quae
„ partium studiis quam legibus vivere malit,
„ postquam altera pars succubuit, victrixque ne-
„ minem, qui sese ei opponat, habet, ipsa
„ dividatur (1). Non enim potest sese tueri iis

„ re-

(1) » Le nimicizie di Firenze furono sempre con Sette,
» e perciò furono sempre dannose, nè stette mai una Setta
» vincitrice unita sennon tanto, quanto la Setta nimica era
» viva. Ma come la vinta era spenta, non avendo quella
» che regnava più paura che la ritenesse, nè ordine fra
» se che la frenasse, la si ridivideva.” Ist. fior. Lib. VII.
init.

„ remediis, quae ad salutem suam primitus invene„ rat. His autem malis nullum melius remedium „ erit, quam si, abrogatis legibus istis, quae par„ tium. studia nutriunt, factiosorum ambitio coer„ ceatur, iisque substituantur aliae, libertati atque „ civili vivendi generi accommodatae plane."

Quae hic rerum publicarum vitia et remedia indicavit patriae amantissimus civis, eadem prorsus, sed plenius, in Livianis quaestionibus exposuit Machiavellus. Malorum autem causas, quae Italiam oppresserunt, cum ab insano illo factionum studio repetit, tum a neglecto Dei cultu et perversâ hominum educatione, ortis maxime ex falsâ Christianae religionis interpretatione et corrupto Ecclesiae statu (2). Tantae autem perversitati remedia optima esse putat, si in omnibus fere rebus contraria fiant eorum, quae fieri solent: cives discant suis utilitatibus patriae commodum anteferre: eae ordinentur leges, qubus tuta sit civitas adversus hostes et factiones: et, si antiquorum Romanorum exemplo, sensim sensimque suus restituatur et moribus et Deo honos.

Itaque et hoc commune habent ambo scripta, quod declarant, quibus artibus res publicae et regna pereant et firmentur, veraque eorum commoda optime provehantur; et illud omnino animadvertendum est, nullum graviorem in opusculo *del Principe* locum occurrere, quin eundem Livianis

(2) Cff. Discors. Lib. II. Cap. II.

nis commentariis quoque, eadem mente, attigerit: ita ut omnia a Machiavello, eodem emendandi consilio, profecta esse, ne dubitari quidem possit. Ubi in commentariis de novo principe disputat, opusculi auctorem statim agnoscis (1). De militiâ, principisque curâ circa hoc firmissimum omnis civitatis praesidium (2), de perpetuâ optimatium et plebis invidiâ (3), de odio et contemtu, pestis instar, ab imperantibus fugiendo (4), de fortunâ animoque ad omnem eius varietatem fingendo (5), simili prorsus modo in utroque libro agit. Nonnulla in maiore opere fusius explicat, v. c. locum de coniurationibus (6), et, quem fere in opusculo neglexit, de bonis legibus in civitate ferendis (7). Pauca, pau-

(1) V. c. Disc. Lib. I. Cap. XXVI.

(2) Disc. Lib. I. Cap. IV, XXI, XXIX, XXX, XLIII. Lib. II. Cap. X, XVI - XX, XXX. Lib. III. Cap. X, XXXI, XXXVI, XXXIX.

(3) Disc. Lib. I. Cap. IV, V, VI. et passim. Cff. Ist. Fior. L. III. init. et passim.

(4) Disc. Lib. I. Cap. II. Lib. III. Cap. XIX, XXIII. Metum sui excitare debet princeps, secundum Disc. Lib. III. Cap. XIX, XXI.

(5) Disc. Lib. II. Cap. XXIX, XXX. Lib. III, Cap. VIII, IX.

(6) Lib. III. Cap. VI.

(7) Disc. Lib. I. Cap. III, XVI, XVIII, XLII, XLV. Lib. III. Cap. V. Causam, cur Machiavellus, quamquam diserte monuerit, legibus et militiâ omnes firmas civitates niti debere (cf. *del Principe* Cap. XII. cll. Disc. Lib. I. Cap. IV.) tamen de illis disserere consulto omiserit, a consilio repeto, quo opusculum condidit. Nimis enim longo tempore opus esse praevidit, ante quam bonae leges bonos mores peperissent, quam ut de illis fuse ageret.

paululum mutatâ opinione, proposuit (1). Eadem exempla saepius excitantur (2), eaedemque plane proferuntur sententiae. Et, quod omnium gravissimum est, praecepta, quae in Livianis commentariis dantur, de necandis iis, qui consiliis tuis adversentur (3), de honorificâ fraude et violentiâ (4), de fide frangendâ (5), de hominum nequitiâ (6), et stultitiâ, quoniam aut improbos aut bonos plane sese gerere ignorant (7), ita similia sunt iis, quae nobis iam du-

(1) Cf. Lib. II. Cap. XXIV. cll. cum Cap. XX. lib. *del Principe.*

(2) Cf. Disc. Lib. I. Cap. IX. cll. cum *del Principe* Cap. VI. Lib. I. Cap. X. cum *del Princ.* Cap. XIX. Lib. I. Cap. XL. cum *del Princ.* Cap. IX. Lib. II. Cap. XXV. Lib. III. Cap. XXVII. cum Cap. XX. opusculi *del Principe.*

(3) Disc. Lib. I. Cap. XVI, XVII. Lib. III. Cap. III, IV, XXX.

(4) Lib. I. Cap. IX, XVIII, XXIX, XXX, XL, XLVIII. Lib. III. Cap. XXXII.

(5) Lib. I. Cap. LIX. » Romponsi le confederazioni » per lo utile." Lib. III. Cap. XLII. » Non solamente non » si osservano tra i Principi le promesse forzate, quando » è manca la forza, ma non si osservano ancora tutte l'al- » tre promesse, quando e' mancano le cagioni che le fanno » promettere. Il che sè è cosa laudabile, o nò, o sè da » un Principe si debbono osservare simili modi, o nò, lar- » gamente è disputato da noi nel nostro trattato del Prin- » cipe; però al presente lo taceremo." Cf. Lib. III. Cap. XL.

(6) Lib. I. Cap. III, XVI, XVIII, XIX, XXV, XXIX.

(7) Haec sententia: » Gli uomini non sanno essere nè » al tutto tristi nè al tutto buoni: ma pigliano certe vie » del mezo, che sono dannosissime;" utramque paginam in quaestionibus Livianis facit. Cf. inter alia Lib. I. Cap. XXVI,

dudum ex alio opusculo innotuerunt, ut de seria Machiavelli mente in condendo libello *del Principe* omnis ridicula sit seria dubitatio. Denique haud raro maioris operis auctor ad illud disertis verbis provocat (1).

Quae cum ita sint, cumque tanta videatur utriusque operis convenientia, ut arcto affinitatis vinculo sibi cohaerere censeri debeant, neque in quaestionibus Livianis maior aliqua honestatis et prudentiae civilis, quam in libro *del Principe*, coniunctio appareat: unde tandem repetendum est, neminem non multo minori cum offensione et indignatione illas, quam huncce, legere solere?

Quae supra de diversâ utriusque scripti formâ monuimus, deque inde explicandâ diversâ quaestionis tractatione, hic rursus in censum veniunt. Maximam vero huius rei causam in eo sitam arbitror, quod in altero opere ipsius *civitatis* utilitatem, *quae universorum civium utilitate continetur*, in altero *principis* commodum, *subditorum commodo saepissime repugnans*, unice spectaverit Machiavellus. Cui causae insignis haec differentia et progressio tribuenda sit: utrum rei veritati, an parum excultae scientiae de regio imperio, an vero antiquitatis auctoritati, quae fere, si paucos philosophos excipias, hac notâ utramque regiminis formam distin-

XXVI, XXVII, XXX. in primis Lib. II. Cap. XXIII. Lib. III. Cap. II, VI, XL.

(1) Cf. Lib. II. Cap. I, XX. Lib. III. Cap. XLII.

tingueret solebat, incertum est. Illud constat, et ad Machiavelli intelligentiam sufficit, multos, recentioribus, ac recentissimis adeo temporibus, eodem modo hac de re existimasse, ipsumque Machiavellum variis locis significare, *unice in rebus publicis populi rem agi.* „ Incredibile dictu est," inquit, „ ad quantam magnitudinem Roma, ex„ pulsis regibus, pervenerit. Causa in promtu „ est; non enim unius commodum, sed commu„ nem omnium utilitatem augendo, florent civitates „ (*non il bene particolare, ma il bene comune è quel„ lo che fa grandi le Città*). Communi autem huic om„ nium civium commodo (*il bene comune*) non „ nisi rerum publicarum rectores servire solent. — „ Contrarium obtinet in iis civitatibus, quibus Prin„ ceps praeest. Hic enim *plerumque iis rebus, qui„ bus sibi prodesse studet, civibus nocet: iis vero, „ quae civibus prosunt, se ipse laedit* (1)." Et, in illo capite, quo contendit, in populo maiorem, quam in principe, constantiam sapientiamque cerni, haec inter alia profert. „ Multitudo," ait, „ sae„ vire in eos solet, quos rem *publicam* (*il ben co„ mune*) invadere velle suspicantur: princeps contra „ in eos, quos obfuturos esse metuunt commodo „ suo *privato* (*il bene proprio*) (2)."

Dein-

(1) Disc. L. II. Cap. II.

(2) Disc. Lib. I. Cap. LVIII. Cf. Lib. I. Cap. II. ubi rei publicae propriam esse contendit, ut rectores postponant „ ogni loro commodo alla comune utilità." Eadem docent. Istor. Fior. passim.



Deinde, de utroque opere sic existimari solet, ac si in altero de regno, in altero de re publicâ agatur. Quamnam haec explicatio requirat emendationem, lectores iam dudum perspexisse puto. Machiavellus lucubrationes suas vocavit: *discorsi sopra la prima deca di T. Livio*. Ut igitur haec decas tam Regum Romanorum, quam rei publicae tempora complectitur, ita commentatoris animadversiones perpetuo utramque regiminis formam spectant. Qui vocabula *Republica* et *Regno*, *Principe* et *Republica* coniunctim fere usurpat. Neque accurate erit dixisse, in altero agi de re publica et regno, in altero de tyrannide novâ: nam de hac quoque in commentariis haud semel sermo est. Ita igitur nobis significanda videtur utriusque operis indoles, ut dicamus, continere quaestiones Livianas historicam et civilem *de civitate* disquisitionem (1); opusculum vero *del Principe* argumen-

(1) In Libello *del Principe* Machiavellus utraque opera ita distinguere solet, ut alterum de rebus publicis, alterum de principatibus agere affirmet. Sic autem simplici illa et vulgari divisione utitur, quâ omnia imperia vel ab uno vel a pluribus administrantur. Sed videndum est, quid tandem, si *de industria* de variis imperii formis agat, *rei publicae* voce intelligat. Itaque, ut Scipio apud Cic. de Rep. Lib. I. Cap. XLV. omnibus regiminis formis longe praestare illud contendit, quod sit aequatum et temperatum ex tribus optimis *rerum publicarum* modis, ita Machiavellus in illo capite (Disc. Lib. I. Cap. II.) quod Ciceronianam gravitatem refert, eandem plane sententiam explicat. Recensitis enim singulis imperii generibus, ita pergit. » Tal chè avendo quelli che pruden- » temente ordinano leggi, conosciuto questo difetto, fug- » gen-

mentem de novis principatibus sic pertractare, ut omnia ad Italicarum tyrannidum naturam et proximas necessitates referantur.

Fere Livianae quaestiones opusculo de principatu praestare censentur. Quod mihi in primis repetendum videtur ab uberiori illâ eorumdem principiorum, atque in libello exposuit, explicatione, quae, in pari malarum artium professione, multo tamen minus moribus nostris repugnant. Et vero egregiae in iis occurrunt de gravissimis argumentis disputationes et animadversiones, ita ut, qui primus inter recentiores militaris artis scientiam professus est,

» gendo ciascuno di questi modi per se stesso, n'elessero » uno che participasse di tutti, giudicandolo più fermo e più » stabile; *perchè l'uno guarda l'altro, sendo in una medesima Città il Principato, li Ottimati, e il Governo » Popolare.*" Itaque rerum publicarum vocem, eadem significatione, in Livianis quaestionibus, atque Scipio apud Ciceronem, usurpat: eâ *civitates* intelligens et omnia omnino imperii genera complectens. Uti recte quoque interpretatus est in nuperrima Machiavelli operum versione Germanicâ Zieglerus Vir. doct. Et in *civitatium* naturâ explicandâ versantur: opusculum vero *del Principe* eas perpetuo respicit unius dominationes, quales et in antiquâ Graeciâ multae, et in recentiori Italiâ fere omnes exstiterant.— Idem vero illud regnum maxime et fere unice probavit, in quo legibus et bonis institutis regis imperium esset temperatum: cuius rei Francia ipsi exemplum praebere videbatur. Multus igitur est in huius imperii, cuius ipse disciplinam experiundo cognoverat, laudibus praedicandis, tam in opusculo, quam in commentariis (cff. *del Princ.* Cap. XIX. Disc. Lib. I. Cap. LV, LVIII. Lib. III. Cap. I. De liberis Germaniae civitatibus, quas pariter laudat, cf. *del Princ.* Cap. X. Disc. I, 55).

est, politicas aequalium suorum notiones ad prudentiae ac doctrinae normam exegit, praeclarum historiae ad vitae civilis fructum scribendae exemplum dedit, primus quoque eam viam straverit, qua deinceps Montesquivius procedens, immortalem nominis sui famam reliquit. Quamquam opusculo *del Principe* quid in illo genere, ista aetate, ab Italo homine, aut subtilius cogitari aut limatius elegantiusque proponi potuerit, equidem ignoro plane. Potius vero, quam ut, utrum utri scriptum praestet, significem, inquirere iuvat, qui factum, ut, in tanta temporum mutatione, in tam diversa Germanicarum civitatium origine, indole, disciplina, in tanta doctrinarum luce, multarumque Machiavelli animadversionum levitate, utrumque tamen eius scriptum hodie adhuc perpetua quadam novitatis gratia sese commendet, magnamque utilitatem praesentibus imperantibus afferre possit. Non autem dubitamus, Leonis Vir. Clar. hac de re sententiae calculum nostrum adiicere. Qui vere nobis et acute animadvertisse videtur, ideo, donec civitates ac regna manebunt, suum quoque mansurum Machiavello honorem, quod hic *perpetua ac constantia elementa, quae omni imperio propria censeri debent*, plene eruit et exposuit (1). Admirabilis enim prorsus est ingenii eius acies, qua, procul a multorum recentiorum levitate remotus, quaenam singuli elementi vis sit ad

(1) Cff. *Iahrbücher der wissenschaft. Kritik*, mens. Nov. 1833.

ad amplificandam civitatem, quid mores, quid religio, quid disciplina, quid singulorum hominum excellentia valeant, simpliciter ac vere docuit. Deinde, quid singulae aetates et singuli homines ferre possint, nemo melius unquam vidit: et universe pauci, praesertim inter recentiores, de arte civili scripserunt, in quibus tam intima experientiae ac scientiae coniunctio, quam in Machiavello, apparuit, aut qui naturalem imperiorum ortum, progressionem et interitum tam acute perspexerunt et expresserunt. Eaedem autem dotes in opusculo *del Principe* cernuntur: cui et hoc proprium est, quod doceat nos, quam egregie Machiavellus doctrinam suam ad proximum vitae usum accommodaverit.

Minime igitur omnium nos morabitur multorum interpretum sententia, qui sese ex difficultatibus, quas solvere non poterant, ita solebant expedire, ut Machiavellum in libello de principatu strenuum sese praebuisse unius imperii propugnatorem, in Livianis vero quaestionibus, acerrimum libertatis vindicem pronuntiarent. Quam prudenter enim de optima imperii forma iudicaverit, e scriptione eius ad Leonem X de Florentina civitate reformanda intelleximus: neque nos in disputationis progressu latuit. Universe rem publicam prae unius imperio excellere putavit (1). Sed tamen tan-

(1) „Sono," inquit, „migliori governi quelli dè popoli, che quelli dè Principi." Disc. Lib. I. Cap. LVIII.

tantum aberat, ut hanc formam omnibus hominibus et gentibus convenire existimaret, ut diserto statueret, ibi illam unice vigere posse, ubi homines integri, religiosi, aequo iure, viverent: ceteris omnibus non nisi unius imperium commendandum esse. Quam parum igitur in deploranda Italiae conditione rei publicae condendae studiosus fuerit, et sponte ex doctrina eius efficimus, et ipse saepius significavit (1). Hac enim in re, ut in ceteris omnibus, illud unice spectabat, quod aetas potissimum requirere videbatur: et in eligenda aut commendanda optima imperii forma illud tenebat „ semper civium mores et in„ dolem consideranda esse: aeque enim esse diffi„ cile, servilem populum liberare, quam liberum „ opprimere (2)."

Illud autem animadversionibus hisce spectavimus, ut omnes in posterum perspicerent, cuncta politi-

(1) Ut alia loca omittamus, Disc. L. I. Cap. XI. „ Senza „ dubbio," ita disputat „ chi volesse nè presenti tempi „ fare una Republica, più facilità troverebbe negli uomini „ montanari, dove non è alcuna civilità, che in quelli „ che sono usi a vivere nelle Città, dove la civiltà è cor„ rotta, e uno scultore trarrà più facilmente una bella „ statua d'un marmo rozo, che d'uno male abbozzato da „ altri." Et vidimus, eum in cunctis fere scriptis, nihil magis doluisse, quam quod universa Italia non in unius, principis potissimum, ditionem pervenisset.

(2) Cff. Disc. Lib. III. Cap. VIII. „ Tanto è difficile e pe„ ricoloso voler far libero un popolo che voglia viver ser„ vo, quanto è voler fare servo un popolo, che voglia vi„ vere libero."

litica Machiavelli scripta et serio ab eo condita, et arcto affinitatis vinculo coniuncta esse, et vero facile illud, quod singula diversum habeant, ex diverso auctoris proposito scribendique opportunitate posse explicari. Etenim, uti in legationum relatione, Castruccii vitâ, consiliis ad Leonem X, et Senatum Florentinum datis, in opusculo denique de principatu, quamvis meliora probaret, et sui deformitatem aevi indignaretur, tamen sese prorsus ad hanc perversitatem accommodavit Machiavellus: ita in quaestionibus Livianis, in libris de arte militari, et historiâ Florentinâ, liberiorem sese sentiens, eos tantum errores retinuit, quibus ipse ducebatur: ceterum in his demum omnes ingenii animique vires, omnemque doctrinam exseruisse videtur.

QUAES-

QUAESTIONES.

I.

In omni disquisitione veritas nobis spectanda unice est.

II.

Ut de superiorum temporum viris celebrioribus recte pronuntiemus, non ex nostro, sed ex ipsorum aevo iudicandi nobis sunt.

III.

Nec probandus nobis totus est Machiavelli del Principe *libellus nec vero reiiciendus, sed aestimandus ex temporum ratione, quibus scriptus est. Sic nobis hodieque proficere ex eius lectione licebit.*

IV.

Referunt politica Machiavelli scripta politicae doctrinae apud Italos infantiam.

V.

Praestat longe politica Machiavelli doctrina Thrasymachi aliorumque Sophistarum placitis, qui Socratis aetate Athenis docuerunt.

VI.

Non illis accensendus Machiavellus est, qui in vitâ communi utilitatem ab honestate seiunxerunt: in civitatium vero rectoribus instituendis atque in principe novo Italo informando coniungere ea recte nondum potuit.

VII.

Quo magis Machiavelli principem cum tyrannis Italiae, qui tum ipsius aetate, tum etiam postea exstiterunt, comparamus, eo magis intelligimus, exemplum hunc illis proposuisse, quod ad civitatium regnorumque provehendam salutem imitari potuissent.

VIII.

Uti Socrates et Plato apud Graecos acerrimi iustitiae virtutisque adversus Sophistas antistites fuerunt, ita Hugo Grotius primus inter recentiores iustitiae principiis philosopham iuris disciplinam fundavit.

IX.

Quamvis in consiliis a Machiavello principi novo datis haud semel mira quaedam eius praeceptorum cum Aristotelis placitis convenientia cernitur, neque philosophi libros penitus ignorasse Machiavellus dicendus est: haec tamen similitudo potissimum ex eâdem fere, quae in Italiâ et Graeciâ pullularunt, tyrannidum naturâ, et vero ex ipsis doctrinae, quam Machiavellus professus est, principiis explicanda videtur.

X.

Causa, quare Cap. VIII. *opusculi* del Principe *Agathoclem vituperet, Borgiam vero laudet Machiavellus, in eo sita videtur, quod tot ille* inutilia *flagitia commiserit, neque ad rationem lubidinem suam revocaverit, aut subditorum odium effugerit: quae omnia in Borgia secus erant.*

XI.

Brevius et acutius doctrinae civilis ratio, quâ utilitati omnis honestas cedere debet, exprimi non potest, quam illâ voce, quae a Foucheo, post ducis Angiani necem, Napoleoni ita edita dicitur: „ C'est plus qu'un crime, Sire! c'est une „ faute!" (*Cff.* Mémoires de Fouché, *Brux.* 1825. *Vol.* I. *pag.* 188).

XII.

In opusculo zum Ewigen Frieden *inscripto pag.* 61 *ita disputat* Kantius: *„ Das Problem der „ Staatserrichtung, ist, so hart wie es auch klingt, „ selbst für ein Volk von Teufeln (wenn sie nur „ Verstand haben) auflösbar, und lautet so: Eine „ Menge von vernünftigen Wesen, die insgesammt „ allgemeine Gesetze für ihre Erhaltung verlan- „ gen, deren iedes aber in Geheim sich davon aus- „ zunehmen geneigt ist, so zu ordnen und ihre Ver- „ fassung einzurichten, dasz, obgleich sie in ihren „ Privatgesinnungen einander entgegen streben, die- „ se einander doch so aufhalten, dasz in ihrem*

„ öf-

„ öffentlichen Verhalten der Erfolg eben derselbe „ ist, als ob sie keine solche böse Gesinnungen hät- „ ten." His verbis egregius philosophus accurate et vere eam iuris naturalis doctrinam expressit, quam et ipse uberius exposuit, et eius auctoritate plurimi scholis suis et scriptis retulerunt: simul autem, quam sit illa diabolis quam hominibus regundis accommodatior, haud obscure alios saltem docuisse videtur.

XIII.

Iuris naturae doctrina Ethices disciplinae sic apta et nexa est, ut qui alteram ab altera distrahat prorsus ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur.

XIV.

Iure publico nostro, neutiquam universe populi ad regni Ordines legatis ius *competit aliquid ad Regem ferendi, quod non, postquam optimatium consilium et Rex illud approbaverint, ipso iure legis vim obtinet.*

XV.

Num ius gratiae, de quo agitur in Art. 67. legis de imp. poenae quoque abolitionem et remissionem complectatur, dubitari vix potest.

XVI.

Apte Burkius, Reflections on the Revolution of France, *pag.* 64, „ *I confess to you, Sir,*" inquit, „ *I*

„ *I never liked this continual talk of resistance „ and revolution, or the practise of making the „ extreme medecine of the Constitution its daily „ bread. It renders the habit of society dangerous„ ly valetudinary: it is taking periodical doses of „ mercury sublimate, and swallowing down repea„ ted provocatives of cantharides to our love of „ liberty.*"

XVII.

Iuris publici studioso minime quidem negliganda sunt Virorum Clarissimorum, qui illud arte concluserunt, scripta: sed multo etiam maiori fructu idem optimis quibusque antiquorum et recentiorum temporum historicis, philosophis, et, quorum studium iacet fere, Graecis atque Anglis Oratoribus diligentissimam operam dabit.

XVIII.

Iusta tantum poena est illorum delictorum, quae in civitatis punientis territorio commissa sunt.

XIX.

Actiones, virtuti contrariae, si tendunt ad corrumpendos mores aliorum, delictis accensendae sunt.

XX.

Juris Gallici de legali bonorum inter coniuges communione ratio iniquae partitioni et fraudibus adeo facilem ansam praebet.

XXI.

XXI.

Si mater, inconsulto consiliario, quid gesserit, de quo eius consilium prius rogandum fuisset, non tamen ideo irritum est, quod actum erit.

XXII.

Instrumentum privatum, quo conventio synallagmatica inita est, ideo non caret omni effectu, quod non in duplo triplove confectum fuit. Praebet enim initium probationis per scripturam.

XXIII.

Quaenam occulta *rei venditae vitia sint, nequaquam, ut fere existimari solet, ex locorum consuetudine, sed unice ex rei naturâ effici debet.*

XXIV.

Contractus, quos tutores pro pupillis suis ex legis praescripto celebraverunt, non videntur propter solam laesionem rescindendi esse.

XXV.

Qui e peregrino natus est in Hollandiâ peregrinus est; sed eo legis beneficio fruitur, ut, modo iis satisfaciat, quae Art. 9 *Codicis Civilis praescribuntur, sibi et Hollandi statum, et quae deinde ipsi competant iura civilia, vindicare possit.*

XXVI.

XXVI.

Praeferenda videtur Papiniani opinio in leg. 3 § 2 ff. de separationibus, statuentis creditores haereditarios, impetratâ bonorum defuncti separatione, agere posse contra haeredem idoneum, si suum iam sint consecuti creditores haeredis: dissentiente quamvis Paulo et Ulpiano in leg. 5 et leg. 17 ff. eod.

XXVII.

Ex alternativâ obligatione, alterâ re casu pereunte, res peti tantum et offerri potest, quae superest: non vero rei interemtae aestimatio.

XXVIII.

Clausula generalis in Edicto Praetoris de restitutione in integrum: Si alia causa iusta videbitur: *neque tantum ad absentiam neque ad omnes causas, in quibus aequitas restitutionem suadet, referenda videtur. Sensus est:* dabitur restitutio, quoties quis damnum sit passus ex omissione eius, quod facere debuerat ad damnum avertendum, sed quod iustâ ratione impeditus facere non potuit.

XXIX.

Ab universi iuris Romani principiis deflectit rescissio emtionis propter vilius pretium. Admisit hanc Dioclet. in leg 2 Cod. de rescind. vendit. sed eum secuti Impp. hanc doctrinam non videntur probasse.

XXX.

Inter fontes iuris civilis Romani primarius habetur ius familiae.

XXXI.

Egregie Savignius, in opusculo inscripto Vom Beruf unserer Zeit für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft, *pag.* 38. „*Eine abgeschlossene nationale Entwickelung*," inquit, „*wie die der Alten liegt überhaupt nicht auf dem Wege, welchen die Natur den neuern Völkern angewiesen hat; wie ihre Religion nicht Eigenthum der Völker ist, ihre Literatur eben so wenig frey von den mächtigsten äusseren Einflüssen, so scheint ihnen auch ein fremdes und gemeinsames bürgerliches Recht nicht unnatürlich.*"

AAN

MIJN' VRIEND

C. STAR NUMAN.

Bij zijne bevordering.

Wat Machiavel zegt van vorst en onderdaan,
Den zin dier harde leer toont gij ons duid'lijk aan.
Waar zijn zij; zoo als hij, in kennis wijd ervaren?
Hij zag al 't grouwzaam kwaad, dat volkeren belaagt,
Verschalkte vorstenwaan, ter vierschaar aangeklaagd,
En zijn vernuft wist wijs, de magt en 't regt te paren.

Florence leerde niet; Italië, gescheurd,
Had 's aardrijks paradijs, door eigen schuld, verbeurd,
De wrevel mogt zich zelv' in de ingewanden wroeten.
Paleizen omgehaald, der dooden rust verstoord,
Aan 't outer, moord gepleegd, bij gruw'len ongehoord,
Moest zijn gezegend oord voor wrok en heerschzucht boeten.

De woede zwicht in 't end; zij, buiten adem, moê,
Volgt d'overweldiger en draagt zijne ijz'ren roê,
En durft niet meêr van magt, van eer, noch regt gewagen.
Zoo zag ook later eeuw den vrijheidsboom geplant,
Toen dartelheid en haat daar dansten, hand aan hand,
En 't arme volk misleid ging harde kluisters dragen!

Die

Die leer is de onze niet! — Geen vrijheidszin bekoort,
Die vrijheid onderdrukt, geluk en vreugde stoort,
Daar veiligheid en rust, met welvaart, gaan verloren.
Vloek treft den onverlaat, die listig stookt en woelt,
Bij d'opgeruiden hoop, alleen zich zelv' bedoelt,
En loos den dolk verbergt, om dien door 't hart te boren.

Waarheen? vervoerde drift! ligt baart gij mij verdriet,
De dichter wacht geen' dank, voor zijn verbolgen lied,
En 't loon is hem genoeg, der braven lof te zingen.
Zijn lied verbreidt hun' naam, wier onvermoeide vlijt,
Aan wetenschap en deugd, aan vorst en volk gewijd,
Hen doet, in 't perk der eer, naar ware glorie dingen.

Die lofzang komt u toe, in strijd, bij strijd, bekroond,
't Zij 't Vaderland u riep, bedrogen en gehoond,
't Zij Utrecht's School u zag, in 't spoor van wijzen treden.
Gij volgt uw' Vader na, in Nederland vermaard,
Zoo gij hem eens, mijn vriend! in kennis evenaart,
Moet, waar verdienste geldt, gij d'eersten rang bekleeden.

A. Simons.





